

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

JOANNES BILANYCH

SYNODUS ZAMOSTIANA

an. 1720

(eius celebratio, approbatio et momentum)

Ed. 2.

ROMAE 1960

PP. BASILIANI • VIA ICILIO 40 (PIAZZA S. PRISCA)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Series II. — « ANALECTA OSBM » — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Серія II.

Sectio I:

OPERA

Vol. XI

JOANNES BILANYCH

SYNODUS ZAMOSTIANA

an. 1720

(eius celebratio, approbatio et momentum)

ROMAE

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

JOANNES BILANYCH

SYNODUS ZAMOSTIANA

an. 1720

(eius celebratio, approbatio et momentum)

Ed. 2.

ROMAE 1960

PP. BASILIANI - VIA ICILIO 40 (PIAZZA S. PRISCA)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S. Josaphat, die 15.VII.1960.

P. PAULUS MYSKIW
Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 24.XII.1960.

✠ ALOYSIUS CARD. *Provicarius*

PRAEFATIO

Synodum Zamostianam, praeclarum Sanctae Sedis sollicitudinis de sorte Ecclesiae Ucranae monumentum praesenti in dissertatione examini subicimus.

Hucusque tria commentaria longiora ad eam novimus. Unum a Hugone Laemmer, S. Congregationis de Propaganda Fide Consultore,¹ alterum ab Archimandrita orthodoxo-separato Ambrosio² et tertium pariter a viro orthodoxo-separato Gabriele Chrustsevyč exaratum.³

Primum tamen nonnisi ad paragraphum tertiam tituli tertii pertingit nec ad documenta Archivorum. Synodum spectantia, recursum facit. Duo autem postrema, quamvis totam Synodi materiam exhaustant, sed sub aspectu potius liturgico pertractant, nec aequitate iudicii eminent. Usque enim ad satietatem rediit in eis sermo, Synodum nihil aliud nisi aptum medium a Curia Romana ad latinizandam Ecclesiam Ucrainicam electum constituisse. Et hoc, uti censent, contra eiusdem Curiae declarationes sollemnes. Nam anno 1595, quo Episcopi Ucrainici Romae per suos delegatos schisma eiurarunt, S. Pontifex Clemens VIII-us in Bulla « Magnus Dominus » (die 23 Decembris) scribebat: « ...atque ad maiorem charitatis nostrae erga ipsos significationem omnes sacros ritus et caerimonias, quibus Rutheni Episcopi et Clerus juxta Sanctorum Patrum Graecorum instituta in Divinis Officiis et Sacrosanctae Missae sacrificio, ceterorumque Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae Fidei Catholicae non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, eisdem Ruthenis Episcopis et Clero ex Apostolica benignitate permittimus, concedimus et indulgemus ».

En verba Chrustsevyč versus finem operis: « Quaerimus quidnam, omnibus expositis, Synodus Zamosciensis fuerit »? Et respondet: « Felix Curiae Romanae conamen latinizandi Ecclesiam Unitam non modo in eius ritibus et disciplina ecclesiastica, sed etiam in eius dogmatibus

¹ H. LAEMMER, *In decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Friburgi Br. 1865.

² AMVROSIJ, ARCHYMANDRIT, *Vzhlad pravoslavnago na zamostkij sobor*, in *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, t. II (1862), p. 396-427.

³ G. CHRUSTSEVYC, *Istorija zamojskago sobora*, Vilno 1880.

⁴ *Bullarium Romanum*, X, 239.

cum proposito totalis eius cum Ecclesia Romana confusionis ». ⁵ Quae documentis nostrae Synodi authenticis, uti videbimus, alte contradicunt.

Ast ratio praecipua, ob quam studium huius Synodi suscepimus, non erat apologiam texere. Cum a pluribus scriptoribus, sive catholicis sive orthodoxis-separatis, dubium circa vim decretorum moveri usque ad nostros dies non cesset, solutioni huius quaestionis incumbere operae pretium esse duximus. Secundum alios non omnia statuta pontificia approbatione gaudere, quod iam ex eo patere dicunt, quod S. Pontifex per quatuor annos approbationem differebat. « Synodus per quatuor annos confirmationem Curiae Romanae exspectabat - legitur in uno periodico ecclesiastico - et denique talem, quae eius annulationi aequivalet, obtinuit. Duae nempe Congregationes - de Propaganda Fide et S. Concilii Tridentini - et ipse Pontifex Benedictus XIII per suum Breve, die 19 Iulii 1724, tantummodo illa decreta confirmarunt, quae canonibus Conciliorum Oecumenicorum et Constitutionibus eius Praedecessorum super Ritu Orientali emanatis non contradicunt ». ⁶

E contra alii asserunt omnia decreta, et quidem in forma specifica, confirmata fuisse. ⁷

Ut dubia eliminarem veramque solutionem praerberemus, documenta Archivorum — Secreti Vaticani, S. Congregationis de Propaganda Fide, S. Congregationis Concilii⁸ et Patrum Theatinorum de Urbe⁹ — perlustrare opportunum censuimus.

Ordo igitur procedendi sequens erit: post brevem introductionem de statu Ecclesiae Ucrainicae iuridico, initio saeculi XVIII-i, causas quae Synodi convocationem eiusque celebrationem iuxta documenta inedita commemorabimus. Hic intentio Curiae Romanae apparebit. Deinde de decretis eorumque vi, praesertim post Synodum Leopoliensem et Sanctae Sedis dispositiones recentiores disputabimus.

In fine de vicissitudinibus et forma approbationis Synodi diffuse disseremus.

⁵ *IBID.*, p. 305.

⁶ *Vostočnyj obrjad v tserkvach cholmskoj uniatskoj eparchiji i otnošenije jego k Zamojskomu soboru, in Cholmskij Mjestatseslov na 1869 h.*

⁷ H. CICOGNANI - D. STAFFA, *Commentarium ad librum primum Codicis Iuris Canonici*, Romae 1939, I, p. 16 cfr. infra p. 117 sq.

⁸ Praeter Librum Decretorum S. Congregationis ad nostram quaestionem nihil aliud invenimus.

⁹ Ex isto Archivo nobis innotuit, nonnulla quaesita a Synodo Zamostiana pro resolutione S. Congregationi de Prop. Fide proposita solummodo sub Benedicto XIV-o examinata fuisse. Adsunt Consultorum vota de iuribus Metropolitanae Kijoviensis.

Fas sit nobis grates exprimere opimas Superioribus Conventus Theatinorum ad « S. Andrea della Valle », qui ianuas Archivii sui privati libenter nobis aperuerunt.

Heic est locus debitas persolvendi gratias omnibus, qui in dissertatione exaranda nos adiuvere sategerint: Imprimis Cl. P. Acacio Cousa, Pontificiae Commissionis ad redigendum Codicem Juris Canonici Orientalis Secretario, qui quamvis multis obseptus laboribus, qua est benevolentia benignitateque semper in nos extitit.

Pariter gratum pandimus animum Rev.mis P. P. Joanni Chrysostomo Jaros, C. Ss. R. et A. Ammann, S. J., ob consilia in opella hac componenda nec non A. G. Welykyj, O.S.B.M., ob auxilium in opere edendo.

Romae, 1944/1960.

INDEX RERUM

<i>Praefatio</i>	V
<i>Index rerum</i>	IX
<i>Fontes et Bibliographia</i>	XI
<i>Sigla</i>	XIII
<i>Nota ad Lectorem</i>	XV

INTRODUCTIO

STATUS GENERALIS ECCLESIAE UCRAINICAE INITIO SAEC. XVIII	1
--	---

CAPUT PRIMUM

OCCASIO ET CAUSAE CONVOCATIONIS SYNODI	7
Art. 1. <i>Occasio Synodi et causae ad eam propositae</i>	7
Art. 2. <i>Animadversiones S. Congregationis de Prop. Fide ad causas in Synodo tractandas</i>	29

CAPUT SECUNDUM

CONVOCATIO ET CELEBRATIO SYNODI	35
---	----

CAPUT TERTIUM

DE SYNODI DECRETIS EORUMQUE VI	45
Art. 1. <i>Decreta dogmatica</i>	47
Art. 2. <i>Normae in administratione Sacramentorum servandae</i>	52
De Baptismo	54
De Confirmatione	56
De SS.ma Eucharistia	57
De celebratione Missarum	59
De Poenitentia	63
De Extrema Unctione	67
De sacris ordinationibus	68
De Matrimonio	73

Art. 3. <i>De decretis ad Cleri regimen spectantibus</i>	83
De Metropolitano	83
De Episcopis	84
De Officialibus	87
De Notario et taxa episcopali	88
De Protopresbyteris sive decanis	88
De Parochis et parochiis	88
De monasteriis et statu monachorum	89
De monialibus	91
De ecclesiis earumque bonis	92
De simonia	92
De studiis instaurandis et seminariis	93

CAPUT QUARTUM

VICISSITUDINES ET FORMA APPROBATIONIS SYNODI ZAMOSTIANAE	97
Art. 1. <i>De necessitate ac vi approbationis Concilii provincialis</i>	97
Art. 2. <i>Vicissitudines approbationis Synodi Zamostianae</i>	101
Art. 3. <i>De forma approbationis Synodi Zamostianae</i>	115
CONCLUSIO	125

FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

I. FONTES INEDITI

1. *Archivum Secretum Vaticanum*:

Archivio della Nunziatura di Polonia, vol. 190.

Archivio della Nunziatura di Varsavia, vol. 99.

2. *Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide*¹
Congregazioni Particolari:

vol. 64: Congregazioni particolari dall'anno 1720 a tutto il 1722;

vol. 65: Congregazioni particolari dell'anno 1723;

vol. 68: Congregazioni particolari dall'anno 1724 a tutto il 1727;

vol. 74: Congregazione particolare de Ruteni dell'anno 1728.

Scritture originali riferite nelle Congregazioni Generali:

vol. 565 — anno 1709;

vol. 599 — anno 1715;

vol. 602 — anno 1715;

vol. 623 — anno 1720.

Scritture riferite nei Congressi: Moscovia-Polonia-Ruteni.

vol. 3 — Dal 1700 a tutto il 1719;

vol. 4 — Dal 1720 a tutto il 1725;

vol. 5 — Dal 1726 a tutto il 1734.

Acta S. Congregationis de Prop. Fide, inter an. 1715-1724.

Lettere della S. Congregazione, dall'anno 1720-1723, vol. 109-112.

II. FONTES EDITI

Acta et decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae, habitae Leopoli an. 1891,
Romae 1896.

Acta Ecclesiae Mediolanensis ab eius initio usque ad nostram aetatem, opera et studio Presb. Achillis Ratti, vol. II-um, Mediolani 1890.

Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji, pars I, t. II., Kiev.

BEVEREGIUS, G., *Synodikon sive Pandectae Canonum*, vol. I-II, Oxonii 1622.

CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE. *Fonti*, fasc. VIII. *Studi storici sulle fonti del diritto canonico orientale*, fasc. XI. *Ius particolare Ruthenorum*.

Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide, Romae 1907, vol. I-II.

¹ Nomina « Congregazioni Particolari », « Scritture originali... », « Scritture riferite... » in allegationibus omittuntur et solum numerus voluminis indicatur, e. gr. Arch... vol. 64 etc.

- COLLECTIO LACENSIS, *Acta et decreta conciliorum recentiorum*, Fr̄burgi Br., vol. II-um.
- Constitutiones Congregationis Ruthenae Ordinis S. Basilii Magni*, Zovkva 1910.
- GASPARRI, PETRI, CARD., *Codicis iuris canonici fontes*, vol. I, II, V, Typis Polyglottis Vaticanis 1926 sq.
- HARDUIN J., *Acta Conciliorum et Epistolae decretales ac constitutiones SS. Pontificum usque ad annum 1714, Parisiis 1714-1715.*
- Juris Pontificii de Prop. Fide*, cura ac studio RAPHAELIS DE MARTINIS, Romae 1888 sq., pars I-a, vol. I, II, III, IV.
- LAKOTA, HR. EP., *Try synody peremyski i eparchialni postanovy valavski v 17-19 st.*, Peremyšl 1939.
- MANSI, J. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, Florentiae-Venetiae 1759-1798; Parisiis 1905 sq.
- PETRUŠEYČ, A. S., *Svodnaia Halytsko-Russkaja Litopys 1700-1772 h.*, Lvov 1896.
- PITRA, J. B., *Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I-II, Romae 1864-1868.
- Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae*, Romae 1883, ed. 3-a.
- Synlogma canonum Photii*, apud *Patrologia Graeca*, ed. MIGNE, t. CIV.
- THEINER, A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. IV-us, Romae 1864.

III. BIBLIOGRAPHIA¹

- AMVROSIJ, ARCHIM., *Vzhlad pravoslavnago na zamostkij sabor byvszej v 1720*, in *Trudy Kijevskej Duchovnoj Akademiji*, t. II (1862), p. 396-427.
- ARCUDIUS P., *De concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*, Lutetiae Parisiorum 1622.
- BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioecesana*, Ferrariae 1764.
- BLAZEJOVSKYJ, D., *De potestate Metropolitaram Kioviensium Catholicorum in Clerum Regularem*, Romae 1943.
- BOCIAN, J., *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrysostomi apud Ruthenos subintroducitis*, in *Chrysostomika - Studi e ricerche intorno a S. Giovanni Crisostomo*, Roma 1908.
- BOUX, D., *Du Concile provinciale*, Paris 1850.
- CHRUSTSEVIČ, G. *Istorija zamojskago sobora*, Vilno 1880.
- COUSSA, A., *Epitome praelectionam de iure ecclesiastico orientali*, vol. I-um Typis Polyglottis Vaticanis 1940; vol. II-um Typis Insulae S. Lazari 1941.
- DAUVILLIER, J. - DE CLERCQ, C., *Le mariage en droit canonique oriental*, Paris 1936.
- DOBRIANSKYJ, A., *Istorija Epyskopov trech sojedynenych eparchij Peremyslskoj, Samborskoj i Sianotskoj*, Lvov 1893.
- DUSKIE, A., *The canonical status of the Orientals in the United States*, Washington 1928.
- HARASIEWICZ, M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.
- HINSCHIUS, P., *System des katholischen Kirchenrechts*, Berlin, 1869 sq., vol. III-um.
- JAROS J., CHRYSOST., C. Ss. R., *Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos*, Olomucii 1939.
- JUGIE, M. A.A., *Theologia dogmatica Cristianorum Orientalium*, tom. III-us, Parisiis 1930.
- KAROVETS, M., O.S.B.M., *Velyka reforma čyna Sv. Vasylja Velykoho*, vol. I-IV, Zovkva 1933-1938.

¹ Alii auctores in textu allegantur.

- KOJALOVIČ, M., *Istorija Bazilijanskoga Ordena*, in *Christianskoje Čtenije*, S. Peterburg 1864, pars I, p. 11-75, pars II, p. 419-464.
- LAEMMER, H., *In decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Friburgi Br. 1865.
- LIKOWSKI, E., *Dzieje Kościoła Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX wieku*, Poznań 1880.
- MALINOWSKI, M., *Die Kirchen - und Staats - Satzungen bezaeglich des griechisch - katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Lemberg 1861.
- MASTSIUCH, V., *Tserkovne pravo supruže* (Ius ecclesiasticum matrimoniale), Pere-myśl 1910.
- PELESZ, J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. I-II, Wien 1878-1880.
- PETROV, N., *Očerk istoriji, Bazilijanskoga Ordena v byvszej Polšje*, in *Trudy Kijevskoj Duchovnojoj Akademiji*, ann. 1870-1872.
- RUDOVYČ, J., *Istorija Halytsko-Lvovskoji Eparchiji*, Zovkva 1902.
- SAEGMUELLER, J. B., *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, ed. 4-a Freiburg i. Br. 1935.

SIGLA

- | | |
|-----------------------|--|
| A.A.S. | — Acta Apostolicae Sedis |
| Arch... | — Archivio della S. Congregazione di Propaganda Fide |
| A.S.S. | — Acta Sanctae Sedis |
| Coll. Lac. | — Collectio Lacensis, Acta et decreta conciliorum recentiorum, Friburgi Br. 1870 sq. |
| D.B. | — H. DENZINGER - CL. BANNWART, <i>Enchiridion Symbolorum</i> |
| Fontes Cod. Iur. Can. | — PETRI CARD. GASPARRI, <i>Codicis Iuris Canonici Fontes</i> |
| Harduin | — JOANNIS HARDUINI, <i>Acta Conciliorum, Parisiis 1714-1715.</i> |
| Mansi | — J. D. MANSI, <i>Sacrorum Conciliorum nova amplissima collectio</i> |
| Nunz. di Pol. | — Archivio della Nunziatura di Polonia |
| P.G. | — Patrologia Graeca, ed. Migne |

NOTA AD LECTOREM

Dissertationis decursu terminos « Ecclesia Ucrainica », « populus ucrainicus » adhibemus, quamvis in fontibus solum nomina « Ecclesia Ruthena », « populus ruthenus » occurrant. Ratio huius est, quia apud nos nomen « Ruthenus » hodie solum valorem historicum retinet.

« Ruthenus » ex impraecisa traductione latina vocis slavicae « Rus » - in linguis modernis « Russia » - provenit.

Initio enim terrae, ubi nunc magnae civitates Leopoldis, Kijovia, Charkiv et Odessa sitae sunt, nomine Russia (slavice « Russj », populus Rusyny) designabantur. Cum vero principes Kijovienses suam dominationem (saec. X-XIV) super totam Europam Orientalem extendissent, aliquando etiam aliae terrae sub eodem nomine veniunt.

Ast Russia « par excellence », uti dici solet, semper principatus Kijoviensis saeculis X-XVIII consideratus fuit.

Populus, quem nunc temporis Russum vocamus quique ex fusione elementorum slavo-finnicorum inde a saec. XIII efformatus est, in documentis pontificiis constanter moscoviticus, terra autem Moscovia, nuncupatur.

Sed cum, fatis mutatis, principes moscovitici Ucraina, incursionibus nomadorum asiaticorum debilitata, definitive saeculis XVII-XVIII potiti fuissent ipsumque nomen Russia pro suis terris designandis usurpare coepissent, tunc populus ucrainicus « dopo aver compreso che la confusione dei nomi, creata ad arte da Mosca, minacciava di compromettere per sempre la sua lotta per l'indipendenza, rinunciò ad esso volontariamente ed adottò un nuovo nome, impiegato del resto sporadicamente già dal secolo XII, cioè il nome ucraino ».¹

Res illustrari etiam potest sequenti comparatione: Quamvis christiani Romanum Pontificem Caput Ecclesiae supremum agnoscentes vere et unice sint « orthodoxi », nihilominus seipsos, ad confusionem evitandam, « catholicos » nominant, ita et Ucraini, non obstante quod, historice rem considerando, vere et per excellentiam sunt « Russi », hodie isto nomine non amplius utuntur.

¹ E. ONATSKYJ, *Studi di storia e di cultura ucraina*, Roma 1939, p. 53; E. ONATSKYJ, *La terminologia etnica dell'Europa Orientale*, in *Annali del R. Istituto Superiore Orientale di Napoli*, vol. IX (1936), fasc. I; R. BONDIOLI, *Ucraina*, Roma 1939, p. 12-18; D. DOROSHENKO, *Was ist osteuropoeische Geschichte. Zur Abgrenzung der ukrainischen und russischen Geschichte*, in *Zeitschrift fuer osteuropaeische Geschichte*, vol. IX (1934), fasc. I; M. HRUSHEVSKYJ, *Istoriija Ukrainy-Rusij*, t. I, Kyjiv, 1913, p. 1-2.

Dum anno 1944 dissertationi nostrae ultimam apponebamus manum, documenta quae ex ipsis Archivis romanis hausti sumus maxima ex parte nullibi edita fuerunt. Proinde opus nostrum hac in parte opus primae manus considerari debet.

Sed ad praesens, dum Commentarium nostrum in lucem prodit, cura PP. Basilianorum S. Josaphat collectio documentorum romanorum magna iam ex parte publici facta fuit iuris etiam quoad plurima documenta, quibus et nos utebamur. Proinde Lectorem ad hanc Collectionem remittimus, quia nostrae citationes facillime cum iam editis documentis comparari possunt.

Ex hac Collectione praeprimis sequentia citamus volumina:

Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia, *vol. II, Romae 1954 (ann. 1700-1953).*

Acta S. Congregationis de Propoganda Fide Ecclesiam catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia, *vol. III, Romae 1954 (ann. 1710-1740).*

Litterae S. Congregationis de Prop. Fide Ecclesiam catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes, *vol. III, Romae 1956 (ann. 1710-1730).*

Congregationes Particulares Ecclesiam catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes, *Romae 1956 (ann. 1622-1729).*

Epistolae Metropolitanarum Kioviensium catholicorum: Leonis Kiška, Athanasii Szeptykyj, Floriani Hrebnyckyj; *Romae 1959 (ann. 1714-1762).*

Caeterum nihil vel parum cuiusdam momenti apparuit his ultimis annis, quod nostro operi conferre potuisset, nisi excipiamus opus A. M. AMMANN, S. J., Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi, edita Taurinis an. 1948.

His notatis iam ad ipsum thema progressum facimus.

INTRODUCTIO

Status Generalis Ecclesiae Ucrainicae initio saec. XVII.

Tempore quo prima Synodi Zamostianae conamina incipiunt (an. 1715) Metropolis Kijoviensis Catholica terras hodiernae Ucrainae et Russiae Albae comprehendebat. Sub respectu politico pars Ucrainae ad ripam dexteram fluminis Borysthenis (Dnipro) a Regno Polonico, illa vero ad ripam sinistram, Kijovia inclusa, a Moscovia dependebat.

In territorio Russiae Albae archidioeceses Polocensis et Smolenscensis sitae erant. Haec tamen in tractatu Andrusoviensi (an. 1667) inter Poloniam et Moscoviam concluso isti ultimae cessa fuit proindeque in potestatem orthodoxorum-separatorum devenit,¹ Nihilominus etiam pro hac Sede continuo Episcopi catholici ordinabantur.

Cum autem Russia Alba antea partem Ducatus Lithuani, anno 1569 cum Polonia unione personali coniuncti, faceret, duae istae Sedes etiam vel potius Lithuanae nuncupantur.

In Ucrainae autem oris inveniebantur dioeceses Pincensis, Vladimiriensis, Luceoriensis, Chelmensis, Leopoliensis et Premisliensis.²

Notandum est dioeceses Pincensem, Vladimiriensem et Chelmensem unioni cum Ecclesia Catholica a Metropolita Michaele Rahoza in Synodo Brestensi initae (1596) fideles semper mansisse, ceteras vero scil. Leopoliensem, Premisliensem et Luceoriensem recenter conversas fuisse. En breviter historia earum.

Iam anno 1677 Episcopus Leopoliensis Iosephus Szumlanskyj coram Nuntio Apostolico Regeque Poloniae professionem fidei catholicae emisit, at suis fidelibus, donec convenienter praeparati non fuerint, id patefacere noluit. Quatuor post annos idem Episcopus actum professionis renovavit, sed non solus, nam et Episcopus Premisliensis Innocentius Vynnytskyj eandem salutis viam ingredi volens, cum eo Varsaviam se contulit, ut de conditionibus quibus unionem cum suo populo acceptare posset cum regis ministris disceptaret.³

¹ J. PELESZ, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, II, p. 324.

² Dioeceses Vladimiriensis, Luceoriensis, Leopoliensis et Premisliensis simul cum aliis canonicae unitae erant, scil. Vladimiriensis cum Berestensi, Luceoriensis cum Ostrogiensi, Leopoliensis cum Haliciensi et Camenecensi, Premisliensis cum Samboriensi et Sanocensi.

³ A. S. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja Halytsko-Russkaia Litopis 1600-1700 h.*, Lvov 1874, pp. 199-200.

Praecipua iura quibus secundum declarationem ministrorum laudati Episcopi post eorum ad Ecclesiam Catholicam conversionem gaudere debebant, haec erant:

1. Ritus graecus, uti dicebatur, in integro conservabitur.
2. Beneficia ecclesiastica Basilianis indigenis scil. in Regno oriundis e Regno et in Lythuania Lythuanis conferentur.
3. Hegumenos monasteriorum Ordinarius loci praesentabit.
4. Clerus Ordinariorum iudicio et visitationi subiacebit.
5. Episcopi cum Ecclesia Catholica uniti Episcopis ritus latini aequiparabuntur.
6. Episcopi ad Regni Senatam et Diaetam admittentur; pariter in Comitibus Particularibus post Senatores assistere et votum suum proferre valebunt.

7. In tribunalibus pro iurium Ecclesiae Unitae defensione delegati Episcoporum et Archimandritarum nominabuntur.

8. Monasteria omnia sub iurisdictione Episcoporum manebunt.⁴

Attamen sat longo adhuc tempore negotium unionis dictarum dioecesium protrahebatur. Notitia de Episcoporum intentione diffusa Tsarus Moscoviae, qui se custodem orthodoxorum-separatorum, ob scopos evidenter politicos, posuit, simul cum Patriarcha Constantinopolitano consiliis mirisque Episcopos in schismate conservare conabatur.⁵

Nihilominus, praeprimis Episcopus Premisliensis Innocentius in proposito constantem se demonstravit praeparatoque populo et clero die 23 Junii an. 1691 cum delegatis dioecesanis sollemniter fidem catholicam professus est. Anno vero 1693, in civitate Sambir, Synodum dioecesanam, praesentibus 22 decanis et multis e clero regulari et saeculari celebravit, in qua Capitulum e sex Canonicis, Officiale generalem et Procuratorem generalem instituit. Officiali generali munus visitationis dioecesis et iudiciorum in determinatis dioecesis locis, statis temporibus, Procuratori vero bonorum ecclesiasticorum defensio a Synodo iniuncta sunt.

Dein Synodus praecepit, ut omnes Decani et monasteriorum Hegumeni professionem fidei catholicae iuxta formam Orientalibus praescriptam in ecclesia cathedrali imprimis ipsi emitterent, postea autem a suis subditis exciperent. Alia maioris momenti statuta eiusdem Synodi sunt: Fideles quater in anno confitendi consuetudinem servent, sacerdotes una vice in mense conscientiam purgent. In symboli fidei

⁴ Loc. c.; M. KOJALovič, *Litovskaia tserkovaia Unia*, Sankt-Petersburg 1859, pp. 235, 436. Nihilominus in diplomate regis Augusti II-i anno 1700, occasione conversionis Episcopi Szumlanskyj edito, hae conditiones (iura) silentio praetereuntur. Cf. E. LIKOWSKI, *Dzieje Kościoła Unickiego na Litwie in Russii w XVIII i XIX wieku*, Poznan 1880, p. 3.

⁵ J. PELESZ, *op.c.*, p.349.

recitatione particula « Filioque » addenda est. Ad uniformitatem in ritibus introducendam quilibet sacerdos, relicto in paroecia substituto, apud ecclesiam decanalem per unam hebdomadam se conferat ibique sub Decani ductu Sacris litet.⁶

Ob praefati Episcopi Innocentii sollicitudinem dioecesis magis magisque in religione catholica crescebat. Eius in episcopatu successor ac simul « Metropolitae totius Russiae » ad ulteriorem dioecesis progressum Seminarium apud cathedram erigere statuit, pro quo fine 40000 florenorum in praediis familiaribus Czaplî, Humenets et Janiv hypothecatorum reliquit, ea tamen conditione, ut Praepositi eius monachi Basiliani efficerentur.⁷ At, quamvis multa in ista dioecesi facta fuerint, plura adhuc facienda manebant.

Ad exemplum dioecesis Peremysliensis etiam Episcopus Leopoliensis Josephus Szumlanskyj agere coepit ideoque anno 1694 item Synodum dioecesanam coëgit, ut unionem cum Ecclesia Romana instauraret. Sed oppositio adhuc nimis fortis erat, ut desideratam metam attingere valeret. Imo, etsi anno 1700 clerus cum Episcopo Josepho in sinum Ecclesiae Catholicae redierint, potens Confraternitas Stauropiegiana unioni obstitit. Denique et ipsa anno 1708 (die 2 Maii) schisma eioravit, at sub conditione, ut immediate Sanctae Sedi, sicut prius Patriarchae Constantinopolitano subiecta esset.⁸

Post Episcopi Josephi mortem (die 20 Iulii 1708) diploma nominationis regiae pro episcopatu Archimandrita Unioviensis Barlaamus Szeptytskyj obtinuit (die 30 Octobris 1709). In eius autem electione, quae die 21 Ianuarii 1710 locum habuit, clerus et nobiles illius regionis partem sumpserunt.⁹ Durante episcopatu Barlaami Superiores 36 mo-

⁶ Textus Synodi apud H. LAKOTA, *Try Synody Peremyski*, Peremyśl 1939, p. 10-24

⁷ A. DOBRIANSKYJ, *Istoria Epyskopov trech sojedynenyh eparchij Peremysl-skoj, Samborskoj i Sanofskoj*, Lvov 1893, pars III, p. 4-5.

⁸ J. RUDOVYČ, *Istoriya Halystko-Lvovskoi Eparchiji*, Žovkva 1902, p. 40-41.

⁹ Istud laicorum ius ob circumstantias peculiare tolerabatur. Ad rem Nuntius Apostolicus Nicolaus Spinola in litteris ad S. Congregationem de Pr. Fide (die 29 Ianuarii 1710) refert:... « Ma perchè la natione Rutena di Leopoli ha preteso e pretende, che l'elezione a quel vescovado spetti ad essa, e non atrimenti al Metropolitae, allegando di esser questo il suo possesso mai interrotto, tanto vero, che Monsignor Szumlanski, quando professò l'unione, volse farla in mano del Nunzio apostolico d'allora, e non altrimente del Metropolitae, che sento dal Padre Trombetti non sia controvertibile. Io, se bene alle più volte fattemi istanze di poter venire a questa elezione, havevo sempre differito d'acconsentirgliela, nondimeno, essendo intrato in sospetto che si volesse disporre diversamente e protestandosi altamente di venire piuttosto agli estremi che perdere il loro ius, e considerando che il commercio presente coi Moscoviti oltre una certa notizia uscita dalla Corte del Czar per mezzo d'uno de' suoi ministri, che inclinasse a valersi della sua prepotenza con introdurre in Leopoli un scismatico, et aggiunto l'ultimo accidente di Monsignor Vescovo di Luceoria unito, che fu fatto ulti-

nasteriorum dioecesanorum Unioviae (an. 1711) convenerunt, ut regimini bono prospicerent.¹⁰ Clerus autem saecularis in statu flebili inveniebatur.

Ultima dioecesis, recenter conversa, Luceoriensis fuit.¹¹ Eius tamen Pastor Dionysius Zabokrytskyj per unionis actum (an. 1702) odium Tsari Moscoviae Petri I, Magni dicti, excitavit, ita ut anno 1709 a militibus eius in vincula coniectus in dissitasque regiones abductus, usque ad mortem, non obstante intercessione Nuntii, libertatem non acquisiverit.

Ob absentiam proprii Ordinarii ista vastissima dioecesis maxima cura indigebat. Anno 1716 Metropolita Leo Kiška in Episcopum eius comitem Josephum Vyhovskyj (1716-1730) consecravit, qui Synodo Zamostianae interfuit.¹²

In reliquis tribus dioecesibus ucrainicis, scil. Chelmensi, Vladimiriensi et Pinscensi nota regiminis characteristica haec erat, quod monasteria omnia Basilianorum ab uno moderatore supremo, Protoarchimandrita dicto, dependebant.

Notandum est quod canones orientales monachos submissos volunt immediatae Ordinarii loci iurisdictioni. Ita iubet iam quartus et octavus canones Concilii Chalcedonensis¹³ et canon octogesimus primus

mamente prigionie dai Moscoviti, e condotto a Kiovia, come ne dò distinto ragguaglio a Nostro Signore, mi ha tutta questa serie di circostanze indotto ad assicurarmi anche dall'ombra del pericolo, et ho commesso al detto Monsignor Winnicki (Metropolita) di venire all'elezione di quel Vescovo, servato more illius Ecclesiae, et sine praeiudicio iurium iurisdictionis alicuius.

Si spera, che l'elezione si farà pacificamente, e non vi sarà altro richiamo, che dei Monaci Basiliani di Lithuania, i quali pretendevano ritardarla con alcune proteste innovative, et a tale effetto credo che venisse qua il P. Provinciale Kiszka, che io non ricevevi per i motivi addotti all'Eminenze Vostre nella mia ultima lettera delli 25 del decorso.

Mi si dice hora che egli non habbia poi seguitato il suo viaggio a cotesta volta; ma che habbia mandato un suo Religioso. Ho ordinato però che le suddette sue proteste si ammettano ad summum loco protestationum, et intanto m'è parso il migliore espediente quello di empire la cathedra, per togliere agli scismatici il motivo di instigare quei Ruteni in favor loro, sotto il pretesto di mantenersi il ius d'eleggere il Vescovo, ovvero con la forza introdurre qualcuno di essi, come l'istesso Monsignore Winnicki mi scrisse di esser periculum in mora. « Arch... vol. 571 ».

¹⁰ Ex is'io numero 15 monasteria maiora sub Hegumenis erant, cetera minora a s. d. « stroiteli » (moderatores) dirigebantur. Cf. A. S. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja Halytsko-Russkaja Litopys 1700-1772 h*, Lvov 1887, p. 59-63.-

¹¹ A. THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, Romae 1864, t. IV, Nr. 12, p. 17.

¹² J. PELESZ, *op. c.*, p. 328.

¹³ J. B. PITRA, *Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I, Romae 1864, p. 524-525.

Concilii Carthaginensis.¹⁴ Idem recentiore tempore aliqua Sanctae Sedis decreta cavent.¹⁵

At graves ob rationes, initio fere unionis cum Ecclesia Catholica, celeberrimus Metropolita Kijoviensis, Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637) ab instituto ac tradito more monachorum Orientis recessit.

Putabat enim ipse quod ad fructuosius reddendum opus missionariorum necesse erat, ut omnia monasteria sub unius Protoarchimandritae regimine ponerentur. Quod revera decreto S. Congregationis de Propaganda Fide, die 4 Octobris an. 1624 emanato, et per Breve S. P. Urbani VIII «*Exponi nobis*», die 20 Augusti an. 1631, probato effectum est. Nova Basilianorum Congregatio nomen accepit «*a Sanctissima Trinitate*» sive Lithuaniae.

Sed luctae inter Metropolitas et Congregationem Basilianam non defuerunt. Metropolitae enim successivi Religiosorum exemptionem aegre ferebant, protoarchimandritatum ambiendo. Tamen, post diversas vicissitudines, iura Metropolitae in Religiosos limitata sunt. Anno etenim 1686 sic dictus «*Nexus*» inter ambas partes initus fuit, vi cuius Protoarchimandritae, ex simplicibus monachis eligendo, visitatio monasteriorum et in genere ordo regiminis interni relictus erat. Prae ceteris statutum erat, ut candidatos ad episcopatus Metropolita de consilio Protoarchimandritae eiusque Consultorum Regi praesentaret et vicissim superioratus ad vitam Protoarchimandrita de consilio Metropolitae largiri obligabatur.¹⁶

Quod instructionem in istis ultimis dioecibus attinet, Religiosi studiis philosophico-theologicis non modo in suis monasteriis, sed etiam in Collegiis Pontificiis vacabant, at Seminaria pro clero saeculari considerabantur.

Hisce breviter de statu Ecclesiae Ucrainicae iuridico initio saeculi XVIII-i perstrictis ad causas, quae Synodi convocationem exigebant, gressum facimus.

¹⁴ PAPP-SZILAGYI, *Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis*, M. Varadini, 1862, pars I-a, paragr. 171.

¹⁵ Const. Benedicti XIV «*Demandatum*» (die 24 Decembris 1743) nr. 20, ad Melkitas data (Cf. MANSI, t. 46, col. 337) et epistula et Instructio S. Congregationis de Prop. Fide ad Episcopum Enonensem (die 3 et 5 Aprilis an. 1874; cf. MANSI, t. 46, col. 596). Ulteriora de his rebus apud A. COUSSA, «*Animadversiones iuridicae*» ad «*Decretum de Ordine Basiliano S. Josaphat*» (AAS, XXIV, 1932, p. 239-240), in «*Apollinaris*» V (1932), p. 408-409.

¹⁶ N. PETROV, *Očerk istoriji Baziljanskago Ordena v byvšej Polšje in Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, t. IV (1870), p. 395-398.

CAPUT PRIMUM

OCCASIO ET CAUSAE CONVOCATIONIS SYNODI

Art. 1. - Occasio Synodi et causae ad eam propositae.

Prima conamina convocationis Synodi cum initio ascensionis ad dignitatem Metropolitae Kijoviensis Leonis Kiška (1714-1728) coincidunt. Praestat, ut de eius persona pauca proferamus.

E nobili familia oriundus, post suum in Congregationem Basilianam ingressum a Superioribus primaevo flore Romam missus fuit. Studiis absolutis in patriam reversus est, ubi diversa officia obiit.

Anno 1703 in Protoarchimanditam electus est, quo munere usque ad annum 1713 functus erat.¹ Post mortem Metropolitae Leonis Slubyč-Zalenskyj in Episcopum vacantis dioecesis Vladimiriensis consecratus,² magno zelo in labore pro grege sibi commisso eminuit.³

Cum deinde successor Metropolitae Zalenskyj, Metropolita Georgius Wynnyckyj vita cessisset (22 Septembris 1713),³ antequam Episcopi ad electionem Metropolitae procederent, iam ex Aula regia Episcopus Leo Kiška, « maxime propter sua merita », uti dignus candidatus Congregationi commendabatur.⁴

¹ I. STEBELSKI, *Przydatek do chronologii*, Wilno, 1783, p. 288-289; N. PETROV, *Očerki istoriji Baziljanskago Ordena v byvszej Polšje*, in *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, t. V. (1870), p. 453-454.

² Actum consecrationis Metropolita Georgius Wynnytskyj in civitate Sambir, die 15 Martii 1711, perfecit. Cf. A. DOBRIANSKYJ, *op. c.*, pars III, p. 4.

³ Morte Metropolitae Leonis Zalenskyj secuta, Episcopi - sine Protoarchimandrita et Consultoribus Basilianis - unanimiter Georgium Wynnytskyj, huc usque Episcopum Peremysliensem in Metropolitam elegerunt, Cf. Litterae Episcoporum in *Arch...* vol. 3, f. 264-268. At ob bella, quae duo praetendentes ad thronum gerebant Poloniae, S. Congregatio de Prop. Fide a confirmatione Electi ad annum 1710 abstinuit. Cf. *Arch...* vol. 3, f. 258, ubi litterae Georgii, de die 26 Octobris 1708, quibus confirmationem rogabat, inveniuntur et ff. 345-348, quae copiam Bullae provisionis eiusdem continent.

⁴ « Informatio de Metropolita Russiae. Copia litterarum ex aula regia ab uno aulico homine saeculari scripta, Varsaviae die 4 Octobris 1713 ». Cf. *Arch...*, vol. 3, f. 441. Adamus Sieniawski, supremus dux exercituum Regni ac Castellanus Cracoviensis, nominationem in Metropolitam pro Episcopo Leopoliensi Barlaamo Szeptytskyj apud Regem obtinere conabatur. Idem Castellanus antea privilegium administrationis vacantis Metropolitae pro dicto Barlaamo expedire cu-

Tamen S. Congregatio de Prop. Fide manus liberas, si ita fas est loqui, in electione Episcopis reliquere voluit Nuntioque Card. Odeschalchi iniunxit, ut sua officia apud Aulam regiam hunc in finem interponeret.⁵

Ab antiquo enim Episcopi unum a se electum Regi praesentabant. Nominatione regia assecuta, Electus confirmationem sui apud Romanum Pontificem petebat.

rabat. At ultimo momento re detecta, Nuntius transmissionem documenti e Cancellaria Regia impedivit. Cf. A. S. PETRUŠEVYČ, *Svodnaia... Litopys 1700-1772 h.*, p. 66-67. Cfr. notam sequentem a verbis: « suppongo... maggiore ».

⁵ Nuntius Odeschalchi versus finem anni 1713 Vindobonam translatus est, sed Congregationis litteras (de die 13 Novembris), quibus invigilatio super libertate Episcopis in electione Metropolitae a Rege concedenda praecipiebatur, suo successori Hieronymo Grimaldi, Archiepiscopo Edesseno, reliquit. Cfr. *Arch.*, vol. 3, ff. 481-486. *Lettere d. S. C. di Prop. Fide*, vol. 102, f. 238, f. 420.

« Alla Segreteria di Stato. 13 Novembre 1713.

Il Segretario di Propaganda rimette in Segreteria di Stato l'aggiunta lettera del signor Cardinal Odeschalchi, Nunzio Apostolico in Polonia, con far sapere essere stata questa Sacra Congregazione di sentimento che dalla medesima Segreteria di Stato si risponda a Sua Eccellenza con ampie espressioni di lode per la sua singolare attenzione e diligenza, mediante la quale si spera che quella Corte lascerà, come si conviene, la libertà ai Vescovi Ruteni uniti di venire all'elezione del nuovo Metropolita, secondo lo stile e costume sempre praticato, in conformità della Bolla della santa memoria Clemente VIII, e che, seguita l'elezione, il Re, ad supplicationem electi et electorum, ricorrerà con sue lettere alla Santa Sede per la Conferma ». *Lettere d. S. C. di Prop. Fide*, vol. 102, f. 420.

Rex tamen praetendebat, ut eius nominatio electionem Episcoporum praecederet. En quid die 25 Octobris 1713 Nuntius referebat: « ... Suppongo certamente che l'elezione cadrà nella persona del medesimo amministratore (Leone Kiška), anzi ho avuta qualche notizia che dal Re, in virtù dei soliti praetesi diritti di nomina, sia già stata questa spedita a favor di lui stesso, sotto il titolo della consueta raccomandazione regia ai capitolari, o elettori, come si pratica da Sua Maestà con i Capitoli delle Chiese latine vacanti. Io veramente avrei desiderato che l'atto dell'elezione libera precedesse, e poi l'effetto pigliasse dal Re l'approvazione, prima di portar le sue suppliche a Nostro Signore, come credo siasi praticato nella passata vacanza; ma perchè l'insistere su questo punto, che non ho lasciato di toccare, muoveva nuove difficoltà, allegandomisi lo stile contrario di tutte le vacanze più antiche, e rispondendomisi all'esempio dell'ultima, che questa non potea fare stato a cagione dell'essere allora il Regno senza Re, da cui dopo il suo ritorno Monsignor Winnicki cercò la conferma, per questo io, con dichiararmi che hora non pretendeva discorrere altro che dell'amministrazione... ho creduto di non dovere investigare con maggior curiosità se la Cancellaria habbia veramente dato la nomina, tanto più che quando mi fosse riuscito d'impedire quella di Monsignor Kiszka, l'havrebbe forse il Gran Generale (Sieniawski) sul fondamento della consuetudine e colla sua importunità appresso il Re ottenuta per Monsignor Szepticki, et il male sarebbe stato maggiore »; *Arch.*, vol. 590.

De facto Rex Augustus II iam die 21 Octobris 1713 Episcopis intimavit, ut Leonem Kiška in Metropolitam eligerent. Imo, eodem die, antequam Episcopi

Tunc Episcopi die 16 Februarii an. 1714 Novogrodeci in Lithuania congregati,⁶ in praedictum Leonem vota sua conceperunt.⁷

Abhinc «Metropolitano Archiepiscopo totius Russiae» Leoni vastissimus activitatis campus apertus fuit. Non modo etenim vigilantia super statu suae, sed etiam aliarum dioecesium ei commissa erat.⁸

Et ipse vigore animi, quo pollebat, ad opus hoc arduum se applicavit. Quamvis enim Metropolis Kijoviensis fere integra catholica esset, interna eius organizatio non satis evoluta erat. Huic vero defectui non nisi in Synodo provinciali occurrere poterat. Tamen occasionem eius proximam haeresis Philippi dedit.

Quae haeresis ad genus illud sectarum, quae «Raskolniki» («schismatici») audiunt, pertinebat. Istorum origo communiter a correctione librorum liturgicorum a Patriarcha moscovitico Nicone (1652-1658) suscepta repetitur.

Non obstante dira persecutione, cui subiecti erant, penitus nunquam extincti sunt. Progressu temporis in multas se subdiviserunt fractiones, quarum unaquaeque diversis imbuebatur erroribus.

De ipso Philippo parum usque nunc scitur. Notum est solum eum initio arti militari deditum fuisse, postea vero in monasterio «Raskolnikorum» a duobus fratribus, scil. Andrea et Simone Vlorusin in deserto Vihoviensi fundato commorasse.⁹ Ob discordiam tamen cum praefato Simone Philippus desertum illud reliquit et ad flumen Umbacum se contulit, ubi proprium monasterium fundavit. Tunc sequaces eius etiam extra Moscoviae confines pervagare coeperunt.¹⁰

convenerint, litteras praesentationis ad S. P. Clementem XI pro laudato Episcopo Leone extradidit. Cf. A. S. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja... Litojys 1700-1772 h.* p. 66. Hoc modo Episcoporum electio ob Regis arbitrium pura formalitas effecta est.

⁶ Cum Episcopis etiam Protoarchimandrita eiusque Consultores eligebant. Cf. natam 3-am in pag. 7. Cf. A. S. PETRUŠEVYČ, *op. c.*, p. 70.

⁷ Operae est pretium, ut de persona Leonis Kiška Nun'tium Apostolicum, Card. Odeschalchi audiamus. In citatis litteris, de die 25 Octobris 1713, Praefecto S. Congregationis de Prop. Fide explicans cur memorato Leoni et non alicui alii administrationem vacantis Metropoliae dederit, scribit: «...feci ieri spedire la patente dell'amministrazione per la persona di Monsignor Kiska, Vescovo di Vladimiria, e Prototronio, come i Greci chiamano, nella loro Gerarchia vescovale di Russia. Le ragioni che mi hanno mosso a prescegliere fra gli altri questo soggetto sono state, in primo luogo la comune stima, che egli ha appreso tutti di prudenza, pietà e capacità, per le quali doti ha meritato di essere ai tempi passati eletto reiteratamente in provinciale e protoarchimandrita dell'Ordine suo Basiliano, di tal maniera, che non solo dai suoi monaci, ma anche da molti signori del rito nostro latino, e da alcuni Vescovi che ne hanno particolare convinzione, mi è stata resa della sua virtù un'assai lodevole e singolar testimonianza...»: *Arch...* vol. 590.

⁸ Nostri Metropolitae subscriptio sonabat: «Leo Kiszka Metropolitanus Archiepiscopus totius Russiae». Hodiernos tamen Russos ipse «Moschos» nuncupat.

⁹ E. BARSOV, *Semen Denisov Vlorusin predvoditel russkaho raskola XVIII v.*, in *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, II (1866) p. 198. sq.

¹⁰ De «raskolnikis» (schismaticis respectu Ecclesiae Orthodoxae Separatae)

Philippiani cum ceteris « raskolniki » concorditer docebant regnum antichristi iam advenisse. Imo hoc puncto admissio alias falsas consequentias derivabant. Censebant nempe nullum esse Sacramentum Eucharistiae, nullumque sacrificium, quia haec durante regno antichristi non dantur. Deinde ex eadem idea praeconcepata alia Sacramenta, scil. Ordinis, Poenitentiae, et Extremae Unctionis negabant. Unice Sacramentum Baptismi, sed per immersionem tantummodo collatum, admittebant. Ratio autem huius erat, quia secundum Philippum et « raskolniki » ad eum administrandum simplex laicus habilis reputabatur. Praeterea in Sanctissima Trinitate tres distinctas naturas admittebant.¹¹

Unde cum aliqui domini saeculares in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae turpis lucri causa istam pessimam sectam fovere coeperent, Metropoli Leo in primordiis suscepti regiminis S. Pontifici die 14 Februarii an. 1715 supplicavit, ut sibi facultas Synodum cogendi ad haeresim damnandam et media efficacia contra eam inveniendam daretur.

At simul aliquas alias causas, quae in Synodo tractandae erant per modum exempli indicabat: contentiones de dioecesium confinibus et praecedentia sedandae, uniformitas in ritu introducenda et in genere abusus, praesertim in noviter conversis dioecibus, compescendi.¹²

Serius, anno nempe celebrationis Synodi (1720), magis completum quaestionum resolvendarum elenchum ad instantiam Nuntii Metropolitae patefecit.¹³

Pariter et alii Episcopi ante Synodum a Nuntio, ut sua proposita manifestarent, requisiti fuerunt, sed solummodo Episcopus Leopoliensis Athanasius Szeptytskyj ea transmisit,¹⁴ ceteri vero vel non responderunt¹⁵ vel se Metropolitae elencho nihil adiciendum habere rescripserunt.¹⁶

cfr. A. SKAPOV, *Russkij Raskol Staroobriadstva*, Kazan 1859; alia bibliographia apud J. PELESZ, in sua *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, II, p. 759-786.

¹¹ *Synod. Provinc. Ruthenorum habita...Zamosciae*, ed. 3-a, Romae 1883, p. 55-56.

¹² « ...in qua et nova Haeresis, veluti in radice atteratur; et contentiones non sine scandalo circa fines et principia uniuscuiusque Dioecesis inter Dominos Episcopos... sopiantur et de praecedentia eorundem nociva semper distermineatur quaestio et uniformitas in Ritu concludatur, et diversi demum, singulariter in conversis noviter Dioecibus, aboleantur abusus »; *Arch...*, vol. 599, f. 375 v.

¹³ « *Compendium breve materiarum in Synodo Provinciali Roxolana Leopoliensi tractandarum* »; *Arch...*, vol. 64, ff. 219-220.

¹⁴ « *Puncta desideriorum nonnullorum, quae necessario sunt proponenda in Synodo Provinciali Leopoliensi proxime celebranda*; *Arch...*, vol. 4, f. 146.

¹⁵ Ita Episcopi Pinscensis, Luceōriensis, Smolenscensis et Polocensis.

¹⁶ Ita Episcopus Chelmensis, Josephus Levytskyj.

Insuper Nuntius Episcopus latino-polonos rogavit, ut sua ad Synodum desideria exprimerent.¹⁷

Continuo autem in praeparandis materiis ad Synodum Rector Pontificii Collegii Leopoliensis, P. Stephanus Trombetti, et Archimandrita Pinscensis Polycarpus Phylpovyč cum Nuntio adlaborabant. Hi statim ac prima vice Metropolita facultatem celebrandi Synodum petiit, omnes abusus communi consilio notarunt, deinde autem toto Synodi tempore Nuntio adsteterunt.

Ex istis omnibus relationibus tum conditio interna authentica Metropoliae Kijoviensis tum necessitas convocationis Synodi elucent.

Multiformis tamen materia sequentibus perstringi posse videtur: 1. conditio cleri saecularis (inferioris); 2. controversiae et iura Episcoporum; 3. quaestiones pendentes inter monachos; 4. negotia ritualia; 5. relationes interrituales.

1. Primum post haeresim descriptam gravissimum malum in Synodo medendum, conditio flebilis cleri saecularis erat. Fatetur hoc ipse Metropolita Leo cum scribit: « Reformatio ante omnia cleri ac per clerum rudissimi populi singulariter in neoconversis dioecesibus Luceoriensi, Leopoliensi et Peremyslensi requirit omnino Synodi Provincialis celebrationem in qua et seminaria plus quam necessaria institui per dioeceses poterunt »¹⁵

Usque ad Synodum solummodo Metropolita Leo apud suam cathedram Vladimiriensem Seminarium cum fundatione pro sex clericis aperuit et apud Pontificium Collegium Leopoliense (ab anno 1709) duo alumni ex illa dioecesi recipiebantur. Verum est, quod in dioecesibus antiquitus unitis tam inter clerum saecularem quam regularem personae sat instructae, teste Nuntio, non deficiebant, at etiam in eis status culturae religiosae generalis altus non erat.¹⁹

¹⁷ Adsunt in Archivo binae litterae Archiepiscopi Leopoliensis Joannis Skarbek; Cfr. *Arch...*, vol. 64, f. 226-228; vol. 4, f. 110-112. Ipso Synodi tempore laudatus Archiepiscopus et Episcopi: Premisliensis, Chelmensis et Camenecensis « *Praecustoditiones ex parte Cleri Ritus Latini, adversus Clerum Ritus Graeci...* », Nuntio porrexerunt. Cfr. *Arch...*, vol. 64, ff. 499-501.

¹⁸ *Arch...*, vol. 64, f. 219.

¹⁹ Nuntius ad S. Congr. de Prop. Fide, die 29 Maii 1720: « Delle altre Diocesi che sono nella Russia, cioè Premislia, Chelma e Luceoria, non è il P. Trombetti così ben informato, come di quella di Leopoli, ove dimora; ma egli mi suppone che à misura del tempo, che hanno abbracciata l'Unione, siero più, o meno purgate dagli errori, et abusi antichi, onde quelle di Chelma, e di Premislia, che furono le prime ad accostarsi alla Chiesa Romana, si trovano anche in migliore stato; dopo le quali segue la Diocesi di Leopoli, ed in ultimo quella di Luceoria, men coltivata di tutte le altre. La maggior parte de' disordini, che in esse regnano, non ha luogo nelle Diocesi Rutene della Lituania, perchè in queste, come unite da più lungo tempo, si ritrovano fra gli Ecclesiastici tanto secolari, che Regolari diversi soggetti, e buona parte delle Chiese sono ancora meglio fondate »; *Arch...*, vol. 4, ff. 173-174.

Omnino autem miserae conditiones cleri sociales illo tempore alte pro remedio adinveniando conclamabant. Magnates enim saeculares fundationes in suis bonis pro ecclesiis necessarias, unde parochi decenter vivere possent, constituere nolebant et quod amplius, diversas in eos contributiones imponebant²⁰ vel ad servitia cum dignitate status clericalis incompatibilia adhibebant.²¹ Praeterea iidem Magnates pecuniam pro litteris praesentationis exigebant. Nec deerant inter eos et illi, qui « neque ecclesiam extruxerunt neque eandem sive agris, sive summis ditarunt, pro sola administratione Sacramentorum in suis Villis degentibus subditis honoraria extorquere praetendebant simoniaca ».²²

Merito igitur in suis desideriorum punctis Episcopus Leopoliensis Athanasius Szeptytskyj scribebat: « Adinveniendus est modus salvandi cleri et liberandi ab inesplicabili et varia gravaminum sorte, quae si per aliquod iustum et adaequatum medium non eradiceantur, nunquam possumus habere subiecta digna et ad promovendum cultum Divinum aptissima ».²³ Et pro parte sua suggerebat, ut imprimis ecclesiae nimis pauperes auctoritate Synodi tollerentur deinde, qui vero ad sacerdotium ascendunt, ut non prius ordinarentur quam a suis patronis liberationem in scriptis ab oneribus servitutis et necessariam in benis immobilibus provisionem haberent.²⁴

Quia sacerdotum status adhuc peior fiebat, si duo aut tres parochi ad unam ecclesiam, uti eveniebat, ordinabantur, addebat laudatus Episcopus, ut salva Ordinariorum facultate ob populi multitudinem vicarium (cooperatorem) constituendi, ad unam paroeciam nonnisi unus parochus a Synodo ordinari permitteretur.²⁵

2. Ulterius controversiae inter Episcopum de praecedentia et de dioecesium confinibus solutionem a Synodo exspectabant.

Inter Episcopos Vladimiriensem et Luceoriensem super decanatibus Torcynensi et Sokaliensi, quos primus, dum dioecesis Luceoriensis

²⁰ Metropolita Leo Kiška in sua informatione ad Nuntium an. 1720: « Nell'altre Diocesi di Premisla, Leopoli, e Luceoria i Parrochi soffrono molte gravetze, pagando diverse contribuzioni à i Padroni de luoghi, ove sono situate le loro chiese... pagano i Parrochi il censo di 20 Fiorini per gl'alveari, e le pecore, e danno la Decima ancorchè gl'alveari sieno in molti luoghi vicini alle loro Chiese. Ciò si prattica tanto da i Padroni secolari, che dagl'Ecclesiastici, anzi dagli stessi PP. della Compagnia di Gesù, e singolarmente nel villaggio detto Hrusztow, il quale appartiene al Collegio di Premisla »; *Arch.*, vol. 4, f. 88.

²¹ « ... nelle Diocesi però di Premisla, Luceoria, e Leopoli i Preti sono obbligati a nutrire cani da caccia, à portar le lettere da un luogo all'altro, à condurre assieme co' Villani i carri di vettovaglie, e à custodire i granai, e le chiavi di essi, crescendo ogni giorno le pretensioni de' medesimi Padroni sopra de' Parrochi »; *IBID.*

²² *Arch.*, vol. 64, f. 219.

²³ *Arch.*, vol. 4, f. 146.

²⁴ *IBID.*

²⁵ *IBID.*

schismatica esset, ad fidem catholicam convertit, lis movebatur. Chelmenensis autem Episcopus plurimas ecclesias in palatinatu Belzensi et districtu Buscensi, quas olim Episcopus orthodoxus-separatus Peremyliensis, Antonius Wynnytskyj, a praefata dioecesi avulsit, praetendebat.

Tunc temporis dioecesium limites palatinatum fines seu districtuum civilium non exaequabant. Inde in primo casu, secundum Nuntium, ad normam Cap. 1: de praescriptionibus, diiudicandum erat.²⁶ Qui textus disponit, quod Episcopus contra Episcopum locum per se conversum triennio praescribit, sed si vacat ecclesia vel alius in schismate perseverat, praescriptio non obtinet. Videndum igitur erat an Episcopus Luceoriensis intra triennium a sua conversione contra Vladimiriensem egerit.²⁷ In secundo casu, iuxta Nuntium, an praescriptio quadragenaria vel centenaria in favorem Ecclesiae Peremyliensis allegari posset perpendendum erat.²⁸

De praecedentia tres inter se contendebant Sedes, Archiepiscopi nempe Smolenscensis et Polocensis et Episcopus Luceoriensis, « quorum postremus - uti Metropolita Leo Kiška referebat - ambos, ambo postremum, ac unus alterum praecedere satagebant ».²⁹

Sine discussione autem ab omnibus primus post Metropolitam locus Episcopo Vladimiriensi agnoscebatur, eo quod Sedes ista protothronialis erat.

Episcopus Luceoriensis suam supra praedictos Archiepiscopos praelationem duobus titulis, scilicet « Exarchae totius Russiae » et Comitum Sacri Romani Imperii fulcire conabatur. Primo nempe titulo, scilicet Exarchae, olim Patriarcha Constantinopolitanus Ieremias Episcopum Luceoriensem Cyrillum Terletskyj, antequam ad fidem catholicam converteretur, decoravit, sed et Cyrilli successores sua sponte Exarchas se nominabant. Ceteri Episcopi obiciebant, quod exarchatus nihil aliud erat nisi officium Nuntii patriarchalis, quam ob rem cum morte Patriarchae Ieremiae exspiravit nec successoribus laudati Cyrilli prodesse valebat. Relate ad alium titulum, scilicet Comitum Sacri Romani Imperii rem mere saecularem esse dicebant.³⁰

Deinde cuinam « saccosio » uti liceret acriter disceptabatur. Iuxta veterum Euchologiorum praescripta vestem praedictam non nisi sibi, salvo speciali privilegio, competere Metropolita asserebat.³¹ Et ratio

²⁶ Cap. 1, de praescript. - c. 1, X, II, 26.

²⁷ *Arch...*, vol. 74, f. 10.

²⁸ *IBID.*

²⁹ *Arch...*, vol. 64, f. 431 v.

³⁰ *Arch...*, vol. 74, f. 10.

³¹ Citabat ex Euchologiis sequens excerptum: « Vide Pontifex nemini licere sive Archiepiscopo, sive Episcopo uti Sakosio praeter solum Archiepiscopum Metropolitanum, idque sub poena Excommunicationis »; Cf. *Arch...*, vol. 64, f. 430.

erat, quia saccosium³² similiter ac in ritu latino pallium signum dignitatis metropolitanae distinctivum censeri debet.³³

Per privilegium aliquando S. P. Clemens VIII-us Episcopo Vladimiriensi Hypatio Potij eiusque successoribus, ob insignia circa unionem cum Romana Ecclesia concludendam merita, usum saccosii concessit.³⁴ Ast ne eo extra suam dioecesim vel in sua praesentia uteretur, Metropolita contendebat.

Simile indultum suae Sedi datum fuisse Episcopus Luceoriensis affirmabat, tamen instrumentum concessionis authenticum producere non valebat.

Omnium autem rerum haec Metropolitam magis inquietabat, quod tempore recenti Archiepiscopi Polocensis et Smolenscensis sine ratione, ulli Episcopo nota, praefatam vestem adhibere coeperunt.

Questiones istae forsitan in se non adeo graves erant, at pacem et harmoniam turbabant, imo occasio scandali pro fidelibus - ipso Metropolita fatente - erant.³⁵ Ceterum et tristis facti, quod durante consecratione Metrophanis Drutskij-Sokolynskij in Episcopum Smolenscensem (1680-1690) locum habuit, memores-saltem Episcopi-erant. Cum enim Episcopus Vladimiriensis ad consecrationem saccosio indutus apparuisset a Metropolita Cypriano Zochovskij eo exutus fuit. Ad huiusmodi altercationes aditum in posterum praeccludendum Synodi iudicium expetendum erat.³⁶

Longe autem maioris momenti Episcoporum negotia sequentia erant: Desiderabat nempe imprimis Metropolita Leo, ut in Synodo iura limitesque suae potestatis determinarentur. Huc usque enim de Metropolitanae Kijoviensis iurisdictione duo per Bullam S. P. Clementis VIII-i «*Decet Romanum Pontificem*» (die 7 kal. Martii 1596) statuta erant: Quod ad eum consecratio, institutio ac confirmatio Episcoporum pro vacantibus Sedibus suffraganeis spectat³⁷ et quod Sede ipsa Metro-

³² Saccosium est vestis ad instar dalmaticae latinae.

³³ *Arch...*, vol. 64, f. 431.

³⁴ Copia privilegii a Metropolita adducitur; Cf. *Arch...*, loc. c., ff. 430-431.

³⁵ «... detur facultas Provinciale Synodum congregandi, in qua... contentiones non sine scandalo, circa fines, et principia uniuscuiusque Dioecesis inter Dominos Episcopos... sopiantur, et de praecedentia eorundem nociva semper distermineetur quaestio»; *Arch...*, vol. 599, f. 375 v.

³⁶ Cfr. *Arch...*, vol. 64, f. 430 v.

³⁷ «... motu proprio, et ex certa scientia nostris, et Sedis Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus et ordinamus, ut quaecumque posthac aliqua ex praedictis eorum Cathedralibus Ecclesiis, seu Sedibus Episcopalibus, Vladimiriensi nimirum et Brestensi invicem, Luceoriensi et Ostrogiensi etiam invicem, Polocensi et Vitebscensi etiam invicem, Premisliensi et Samboriensi similiter invicem, Chelmensi et Belsensi etiam invicem, Leopoliensi et Camenecensi etiam invicem perpetuo vel alias unitis seu annexis, pastoris solatio destitui, aut quovis modo vacare contigerit, is qui

litana vacante, electi, iuxta morem, Metropolitanae confirmatio et institutio ad Sedem Apostolicam pertinet.³⁸ Praefatus vero Leo tres in specie praerogativas, a Synodo, uti sperabat, concedendas, sibi suisque successoribus vindicabat, scil. ut 1, Episcopis petentibus Coadiutores dare posset; 2, ut eosdem Episcopos suffraganeos de dioecesi in dioecesim, quoties Ecclesiae bonum requireret, transferre valeret et 3, ut dioecesium suffraganeorum visitatio sibi concederetur.³⁹

ad dictas Ecclesias... iuxta morem eorum, seu modum illis permissum electus, seu nominatus fuerit, a praedicto Archiepiscopo Metropolita Kioviensi ac Haliciensi nunc et pro tempore existenti, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmari vel institui eique munus consecrationis impendi possit et debeat... ».

³⁸ « Verum cum Sedes Archiepiscopales, seu Metropolitanas Ecclesias Kioviensem et Haliciensem praedictas similiter... vacare contigerit, volumus et pari motu atque auctoritate perpetuo statuimus et ordinamus, ut is, qui in Archiepiscopum seu Metropolitam iuxta eorum morem, seu modum illis permissum, pro tempore similiter electus seu nominatus fuerit, electionis seu nominationis suae confirmationem, institutionem seu provisionem, nec non et muneris consecrationis licentiam, a Nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente petere et obtinere omnino teneatur et debeat »; Cf. *Codificazione Can. Orient., Fonti*, XI, Nr. 341.

³⁹ Relate ad Metropolita Coadiutorem quaedam decreta S. Congregationis de Prop. Fide referre placet: « *Die 7 Julii 1624 coram Sanctissimo*. Referente... petitionem D. Josephi Velamini Kioviensis Metropolita Ruthenorum Unitorum cupientis sibi Coadiutorem cum futura successione assumere, Sanctissimus mandavit significari eidem Metropolita, ut nominet Coadiutorem quem assumere desiderat, servatis servandis tam cum Poloniae Rege, quam cum aliis, cum quibus de provisione Archiepiscopatus Kioviensis agi consuevit, quia Sanctitas Sua consensum praestabit, et alia faciet, quae ab aliis suis Praedecessoribus in dicta provisione fieri consueverunt »; Cfr. *Arch...*, vol. 74, f. 2. (Adnotationes Secretarii).

Die 14 Augusti 1643, in Congr. Part. « De Monachis, qui a Rege Poloniae petierunt nominationem ad Metropoliam Russiae, et Archiepiscopatum Polocensem, vivente adhuc R. P. D. Antonio Metropolita Russiae, et simul Polocensi Archiepiscopo, Congregatio in primis dixit nullas esse praedictas nominationes, easque in Curia non esse admittendas; tum ob regulam Cancellariae Apostolicae de non impetrando Beneficio per obitum viventis, tum quia non fuit servata consuetudo Episcoporum Ruthenorum Unitorum, qui prius congregati eligunt personam, camque deinde proponunt Regi pro nominatione, seu, ut aiunt, privilegio ab eo obtinendo. Praeterea, si nominationes praedictae sonent in Coadiutorem cum futura successione, cum provisiones eiusmodi ad solam Sedem Apostolicam spectant, per Cap. unic.: de Clerico aegrotante, in 6^o, Monachi praedicti non potuerunt praedictas nominationes petere, neque Episcopi potuissent congregari ad effectum eligendi Personas, easque proponendi Regi, vel Sanctitati Suae, sine speciali eiusdem Sedis Apostolicae licentia »; Cfr. *Arch...*, vol. 74, f. 3. Cfr. Eiusdem tenoris decretum de die 15 Ian. 1627; in *Codif. Can. Orient., Fonti*, XI, Nr. 423.

Die 1 Septembris 1643. « Referente... Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, concedendam esse licentiam seu facultatem R. P. D. Antonio Metropolita totius Russiae..., congregandi Synodum suorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Praelatorum ad effectum proponendi Sanctitati Suae pro Coadiutore cum futura successione... quem ipse R. P. D. Antonius cum Synodo censuerit esse ad

Pro concedenda Metropolitae prima facultate asserebat ipse quod « stat praxis et consuetudo. Domino enim Iacobo Susza, Episcopo olim Chelmensi, per Dominum Cyprianum Zochowski, Archiepiscopum Metropolitanum Russiae, datus fuerat Coadiutor Dominus Augustinus Lodziata (an. 1685). Nec ratio est a longe quaerenda, cum enim Archiepiscopus Metropolitanus Russiae ex antiquissima consuetudine, Bulla... Clementis 8-vi (*Decret Romanum Pontificem*, 1596) roborata, conferat Episcopatus, pari modo, ut conferat et instituat Coadiutores Episcopis petentibus, senio confectis, censendum videtur». ⁴⁰

Similiter et alterum ius ex praxi et consuetudine defendebat: « Per Dominum enim Leonem Zalenski, Archiepiscopum Metropolitanum... de Episcopatu Pinscensi translatus Martianus Bialozor ad Archiepiscopatum Polocensem (1697). Antiquius vero per Dominum Antonium Sielawa, Archiepiscopum Metropolitanum (1640-1655)... translatus est de Archiepiscopatu Smolenscensi... Leo Kreusa ad Episcopatum Pinscensem. Praeterea ea, quae supra allegatur, ratio suffragatur, ut qui possit conferre, idem valeat et transferre, cum qui possit dare maius, minus etiam queat praestare ». ⁴¹

Tandem Dioecesium suffraganeorum visitatio eo Metropolitae demandanda erat, quia sine ea difficulter ordinem instaurari posse putabat. ⁴²

Successive personarum saecularium in Episcoporum Peremysliensis, Leopoliensis et Luceoriensis dioecesium electione concursum in Synodo abolendum Metropolita proponebat. ⁴³ Ubique enim in istis locis simul cum clero nobiles saeculares magno cum strepitu et potationibus intervenire consueverant.

In fine, ut locatio fundorum ecclesiasticorum dominis saecularibus decreto synodali prohiberetur, idem Antistes optabat. ⁴⁴

Saepe saepius Magnates, obtenta una vice per locationis contractum possessione, bona praedicta usurpabant. Alia autem ex parte, quamvis Episcopi similem iacturam uti probabilem praeviderent, non semper, ne se clerumque suum inimicitiae illorum dominorum, qui magnum in Regno influxum exercebant, exponerent, locationem recusare aude-

praefatum munus idoneum, eidemque R. P. D. Antonio illum... petenti»; Cfr. *Arch...*, vol. 74, f. 3.; Cfr. *Codif. Can. Orient., Fonti*, XI, nr. 124, 427.

⁴⁰ Cf. *Arch...*, vol. 64, f. 430.

⁴¹ *Arch...*, vol. 64, f. 430.

⁴² *Loc. c.*, f. 219, 4^o.

⁴³ « Electio quoque Episcoporum Premysliensis, Leopoliensis et Luceoriensis, per saeculares, cum scandaloso strepitu, et potatione, quae a concurrentibus institui solet Personis, practicari solita omnino videtur fore abolenda, tenore Decreti Concilii Provincialis »; - *IBID.*

⁴⁴ *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'anno 1717*, f. 169, nr. 12.

bant. Unde iam anno 1717 pro simili inhibitione sibimet ipsi concedenda Metropolita Leo Summo Pontifici supplicabat.⁴⁵

Ad rem en unum exemplum significativum: Archimandrita monasterii Kijoviensis « Pečerska Laura » prae aliis etiam praedia Horodok et Obariv, duobus saeculis ante Synodum, de qua est sermo, acquisita, administrabat. Anno autem 1701 factum est, ut praefati monasterii Superior, qui tunc temporis Episcopus Leopoliensis Iosephus Szumlan-skyj fuit, Castellano Volinensi, Francisco Ledochovski praedia illa in quindecim annos locaret. Sed contractu vix subscripto, Castellanus Regi (Augusto II) repraesentavit ac si dicta praedia dominium regium constituerent ab eoque eorundem fruitionem per privilegium, deinde post eius mortem pro uxore sua Helena renovatum, obtinuit.

Locationis termino elapso novus monasterii Archimandrita, qui Metropolita Leo tunc fuit, praediorum restitutionem a praefata Helena postulavit, at incassum. Tunc Metropolita processum contra eam de recuperandis bonis apud Tribunal Lublinense intentare coactus fuit.

Tamen memorata Helena omnibus mediis studebat, ut causa a Tribunali regionali, cum de praesumptis bonis regiis ageretur, ad Comitata Regni generalia avocaretur. Hoc enim modo saltem per sex subsequentes annos bona iniuste detinere sperabat. Secundum consuetudinem et Regni leges alienorum fundorum occupator tunc tantum eis privabatur, si tertio citatus non comparuerit; Comitata autem Regni semel in duobus annis congregabantur.⁴⁶

Ceterum ab ista usurpationis plaga nec cito nec tam facile etiam post Synodum Episcopi se liberare sategerunt.⁴⁷

⁴⁵ *IBID.*, nr. 17.

⁴⁶ *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'anno 1722.* Metropolita litteris (die 17 Novembris 1721) rogabat, ut S. Pontifex Senatores, Canonicos et Praesidem Tribunalis de eorum officio bona quam citius, cui de iure, restituendi moneret. Tunc in Congregatione Generali die 19 Ianuarii 1722 rescriptum est: « Supplicandum Sanctissimo pro petitis Brevibus, et transmittatur instructio Domino Nuncio Apostolico Poloniae, et petatur auxilium ab Eminentissimo Albano, Protectore Nationis ».

⁴⁷ Nuntius Vincentius Santini ad S. Congr. de Prop. Fide die 12 Iunii 1726: « Sono da lungo tempo a me note le pretensioni, che Monsignor Metropolita della Russia, Monsignor Arcivescovo di Polosco, e Monsignor di Luceoria anno il primo contro il Signor Principe Lubomirski, il secondo contro i Padri Gesuiti, e il terzo contro il Signor Principe Sangusco in ordine ad alcuni Beni, che in tempo dello Scisma furono indebitamente trasferiti dalle loro Mense nell'altrui possessione ». (*Arch.*..., vol. 68, f. 278). Et die 31 iulii (1726): « Per secondare, come devo, le giuste premure della S. Congregazione in ordine alle alienazioni dei Beni Ecclesiastici, che vengono imputate ad alcuni di questi Prelati di Rito Ruteno e per ubbidire altresì ai venerati comandi della medesima, contenuti nella lettera, di cui V. E. mi onorò in data de' 4 Maggio, hò procurato d'informarmene distintamente. Ora posso con verità dire à V. E., non derivar esse da altro, che dalla prepotenza de' Nobili secolari, i quali avuto una volta a qualsivo-

3. Aliud causarum genus, quae Synodi iudicio se praebebant, monachorum negotia erant. Inter haec autem quaestio unionis monasteriorum recenter conversarum dioecesium cum Congregatione Basilianorum de Sanctissima Trinitate locum praecipuum occupabat.

Congregationem Basilianorum de SS. Trinitate exemptam et ab uno Moderatore supremo, Protoarchimandrita, gubernatam fuisse iam inuimus. Ex aduerso, monasteria in noviter conversis dioecesibus Episcopis subiacebant et non obstante pluribus suasionibus ex parte provinciae Lithuanae incorporationi totis viribus obstabant. Ita cum monachi Leopoliensis dioecesis audivissent, quod Congregatio SS. Trinitatis omnia monasteria in Regno sibi unire statuit, anno 1709 simul convenerunt (Leopoli) et fortiter contra istum actum protestarunt. Deinde, anno 1711, Hegumeni monasteriorum eiusdem dioecesis protestationem iterarunt litterisque Summo Pontifici, ne ab Episcopi iurisdictione eriperentur, supplicarunt.⁴⁸ Ad summum in hoc consensum suum praestare parati erant, ut ex monasteriis in Regno nova provincia Ruthena, uti dicebatur, crearetur.⁴⁹

Ratio autem aversionis monachorum istarum dioecesium diversus eorum modus vivendi erat. Illi enim in provincia Lithuana sub influxu suorum magistrorum - Patrum Societatis Jesu - in pluribus a ritu, habitu regulaeque orientali recesserunt, dum isti pristinum rigorem conservare studebant.⁵⁰ Deinde se ad unionem cum Ecclesia Catholica cum

glia titolo, ancorche lecito, il possesso de' Beni Ecclesiastici, si studiano e con forza, e con varij pretesti di mantenersi, e non pensano più a restituirli ai Padroni, à quali appartengono. Monsignor Vescovo Ruteno di Luceoria affine di liberarsi in avvenire dalle molestie, e dagl'ufficij che continuamente riceveva dai Nobili secolari, o almeno per potersivi opporre efficacemente, mi domandò tempo fa una Inibizione generale di far con essi alcun contratto sopra i beni della sua mensa. Questa mia Inibizione, e qualunque altra che potesse rilassarsi dalla S. Congregazione, non avrà mai, com'io credo, forza maggiore della disposizione del Sinodo di Zamoscia... Osservando i Prelati di Rito Ruteno, come devono, questa disposizione Sinodale, et allegandola opportunamente, vede ben V. E. che potranno con essa non solamente schermirsi dall'istanze de' Nobili secolari, ma in oltre non ardiranno fare il minimo pregiudizio a i Beni delle loro Mense»: *Arch...*, vol. 68, f. 280-281.

⁴⁸ A. S. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja... Litopys 1700-1772 h.*, p. 61-62.

⁴⁹ Provincia Lithuana Russis Albis et Ucrainis (Ruthenis) constabat.

⁵⁰ In sua ad S. Congregationem de Prop. Fide relatione P. Stephanus Trombetti scribebat (die 7 Novembris 1708): « Le ragioni per le quali non vogliono questa incorporazione già furono esposte da me a Monsignor Nunzio e sono: Per la diversità del vivere, e per la naturale et antica antipatia fra loro; aggiungendo che non havendo mai faticato quelli di Lituania in queste diocesi per l'unione, non vogliono, ne stimano bene, che adesso venghino con sopra mano a prender superiorità nè loro monasterii, e li facciano sudditi; e siccome la provincia di Lituania è stata capace dopo l'unione di stabilire il provinciale per quella Congregazione, così pure queste altre provincie Rutene doppo l'unione possono eleggere da per loro il provinciale (quando non restino li monaci soggetti al

suis privilegiis accessisse et inde servos monachorum provinciae Lituanae effici non debere dicebant.⁵¹

Sed insuper aliqui monachorum abusus in Synodo, secundum Metropolitam Leonem, castigandi erant. Ante omnia indignum professionis monasticae hoc reputabat, quod multi diversis viis privilegia ad vacantia beneficia ambibant.⁵²

Notare oportet, monachos Congregationis SS. Trinitatis praeter tria vota « substantialia », uti audebat, scil. oboedientiae, paupertatis et castitatis, alia duo « simplicia », scil. fidelitatis erga Sedem Apostolicam et non ambiendi dignitates emittere consuevisse.⁵³ Vi huius ultimi quidquam per se vel per alios, clam vel palam, directe vel indirecte, ut ad aliquam dignitatem promoverentur, agere prohibebantur.⁵⁴

Beneficia vero tantopere desiderata episcopatus et archimandriae erant.⁵⁵ Vi indulti regii, anno 1635 dati, Metropolita ad Episcopatus,

Vescovo come prima) senza ricorrere a quello di Lituania, prendendo esempio dalle Religioni dei Padri Domenicani, Francescani et altre, che sono in questo Regno, non sotto un solo provinciale, ma con la moltiplicazione de medesimi, secondo le provincie.

Circa il vivere: Quelli di Lituania mangiano carne statutis diebus, e questi sempre digiunano, dicendo non esser permesso dalla regola di S. Basilio; e se quelli hanno dispensato, questi non vogliono tante dispense.

Circa il vestire, essendo stati quelli (come mi disse il P. Filippovitz nominato di sopra) nelli novitiati dei Padri Gesuiti per riformar la regola già andata in disuso ne tempo del scisma, portano le vesti inferiori al modo dei Padri Gesuiti con le maniche strette; e questi vanno ancora all'antica. Questi portano barbe e capelli longhissimi, asserendo esser così scritto nella regola, e quelli, o vanno totalmente rasi o con pochissima barba, con li capelli tagliati alla forma dei preti secolari. Quelli vestono buon panno, e buone materie, come per il passato, quelli caminano con scarpe ben affibiate, e questi con stivali o scarpe grosse. Insomma vi è una total diversità fra gl'uni e gl'altri, come ho veduto io pure oltre alla particular avversione, e timore di questi di esser sottomessi da quelli, mentre fin hora è stato in quelli qualche studio e dottrina, che non si trova in questi. Inherendo dunque a queste suddette espositioni, dicono questi monaci, che in conto alcuno non vogliono questa incorporatione de monasterii... Questo solo sarebbe caro a loro... d'eleggere loro pure in propria provinciale»; *Arch...*, vol. 565 (Ad Congr. 29 Januar. 1709, nr. 15).

⁵¹ *Arch...*, vol. 3, f. 446-448.

⁵² « *Modus compescendorum Recursuum pro Privilegijs ad vacantia Beneficia, exportandis contra jura antiquissima, et vota religiosa in facie Ecclesiae, cum omni plenissima sollemnitate emissa, adinventendus erit efficaciter a Synodo?* »; *Arch...*, vol. 64, f. 219.

⁵³ *Constitutiones Congregationis Ruthenae Ordinis S. Basilii Magni, ad mentem Constitutionis SS. D. Leonis PP. XIII. Singulare Praesidium*, Zovkva 1910, p. 43, 52-53.

⁵⁴ *Votum de non ambiendis dignitatibus per Breve Benedicti XIV « Inclytum quidem »* (12 Aprilis 1753) sublatum fuit. Cfr. *Ius Pontificium de Prop. Fide*, vol. 3, p. 526-528.

⁵⁵ In Oriente titulus - « Archimandrita » - Superioribus monasteriorum maio-

Archimandritatus et Hegumenatus Regi candidatos praesentare debebat, at serius aliud obtinuit. Iuxta « *Nexum* » enim inter Metropolitam Cyprianum Zochovskij et Congregationem SS. Trinitatis initum, Metropolita ante praesentationem super promovendorum qualitatibus Protoarchimandritam eiusque Consultores audire tenebatur.⁵⁶

Nihilominus et tales non defuisse videntur, qui calcato iure sive Metropolitae sive Protoarchimandritae, ipsi apud Regem vel dominos saeculares nominationes illicitas quaerebant. Unde merito via abusui tollendo paranda erat.

Successive, cum de Archimandritarum praecedentia et subiectione quaestiones moverentur, in Synodo casus resolvendi erant. Archimandritae ab immemorabili insigniis episcopalibus, scil. mitra, baculo et cruce pectorali uti soliti erant et in dignitate sua ad vitam manebant. E contra, Protoarchimandrita iuxta Constitutiones, ad quatuor tantummodo annos eligebatur nec insigniis episcopalibus tunc temporis gaudebat.⁵⁷

Hisce innixi, Archimandritae Protoarchimandritam praecedere nitebantur, cui Metropolita cum Episcopis favere videbantur.⁵⁸

Pro Protoarchimandritae tamen praecedentia Constitutiones et planus rerum ordo militabant. In Capitulis enim anterioribus ipse semper primus subscribebat, iuxta « *Nexum* » vero ad eum simul cum Metropolita depositio monachorum discolorum spectabat.⁵⁹ Unde arguebatur: absonum esset ut ille, qui iurisdictionem in subditos exercet, post eos sequatur.⁶⁰

Deinde de Archimandritarum subiectione Metropolitam inter et Protoarchimandritam controvertebatur. Primus ius suum in hoc praecipue fundabat, quod Archimandritae, ab eo benedicti, iuramentum oboedientiae ei prestabant et quod ad visitationem Archimandritarum Protoarchimandrita eius delegatione indigebat. Cui pro parte sua Protoarchimandrita replicabat, iuramentum recenter introductum votum oboedientiae suo Superiori in professione datum non annullare, imo

rum, minorum vero « *Hegumenus* » tribui consuevit. Cfr. N. MILASCH, *Das Kirchenrecht der morgenlaendischen Kirche*, ed. 2., Mostar 1905, p. 676.

⁵⁶ *Archeografičeskij Sbornik dokumentov otnosiasčichsia k istoriji Sjevero-Zapadnoj Rusi*, XII, p. 124. - In Constitutionibus tamen eodem anno (1686) confectis paulo aliter legitur: Protoarchimandrita cum Consultoribus personas ad dignitatem archimandritatem habiles praesentat Metropolitae, ut easdem collatoribus proponat; Cfr. D. BLAZEJOVSKYJ, *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in Clerum Regularem*, Romae 1943, p. 120-121.

⁵⁷ *Ius Pontificium de Prop. Fide*, vol. I.

⁵⁸ *Arch...*, vol. 64, f. 432; vol. 74, f. 15.

⁵⁹ N. PETROV, *Očerk istoriji...*, in *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, IV (1870), p. 395-398.

⁶⁰ *Arch...*, vol. 74, f. 15.

conformiter Barbosaes (*De officiis et potestate Episcoporum*) Episcopum e monachis electum vota religiosa, si cum officio suo compatibilia existant, servare debere. Relate ad secundum dicebat, quod solummodo ad visitandos Archimandritas Episcopos, non vero alios, Protoarchimandritae a Metropolita licentiam petebant.⁶¹

Ipsi Archimandritae a Metropolita dependere praeferebant, quia hoc modo a Protoarchimandritae visitatione et consequenter admonitione et correptione liberos esse optabant. Quod in monasteriorum damnum cedebat, nam ubi bona ad plures monachos alendos sufficientia erant, ibi Archimandritae, a vigilantia supremi Moderatoris immunes, unum alterumve sibi adsciscebant, redditus autem in vestes sericeas varii coloris erogabant.⁶²

Denique, ne beneficia saecularia a clero regulari occuparentur, in Synodo providendum erat. Cum in Curiis episcopalibus tunc temporis exclusive monachi diversa munera obirent, isti beneficia opimiora facilliter ab Episcopis, cum cleri saecularis praeiudicio, obtinebant.⁶³

4. Non minus necessarium opportunumque erat, ut in Synodo negotia ritualia expedirentur.

Imprimis uniformitas in celebrandis Missis, administrandis Sacramentis et exercendis pontificalibus desiderabatur.⁶⁴

Ratio vero discriminis haec erat, quod in recenter conversis dioecesisibus editiones librorum liturgicorum e tempore schismatis in usu erant. Ideo in Missalibus nomina quatuor Patriarcharum Orientalium, deinde Symbolum fidei sine particula « Filioque », rubrica de aqua calida post consecrationem infundenda et de spongiis adhibendis etc. occurrebant. Verum est, in dioecesisibus Peremysliensi, Leopoliensi et Luceoriensi ab ipso unionis earum initio symbolum cum « Filioque » recitari, Patriarcharum autem Orientalium commemorationem a sacerdotibus omitti consuevisse, et modificationes, stricte liturgicae, progressu temporis in dioecesisibus antiquitus unitis introductae, hic non recipiebantur.

Ad uniformitatem igitur in Missis celebrandis obtinendam, vel primum Missale catholicum a Metropolita Cypriano Zochovskyj, anno

⁶¹ IBID.

⁶² IBID.

⁶³ « Statuendum erit, ne saecularia Beneficia convertantur in regularia, hoc enim pacto, ademptis opimioribus Beneficiis saecularibus per Regulares, adimetur modus providendorum parochorum, ad sua munia accomodatorum »; *Arch...*, vol. 64, f. 219.

⁶⁴ « Uniformitas in celebrandis Missis, administrandis Sacramentis et Pontificalibus exercendis curanda manet in Synodo provinciali, cum longe aliter Episcopi neoconversi Sacros conferant Ordines, prae Episcopis antiquius unitis, et a Ritu Graeco antiquo deflectendo et ad Ritus Latinum non accedendo »; *Arch.*, loc. c.

1692 Vilnae editum, ubique praescribendum vel novum curandum erat.⁶⁵

Pariter differentia in Sacramentorum administratione ex defectu editionis typicae Ritualis proveniebat. Observare enim oportet quod sat sero, quia tantummodo anno 1719, primum Rituale catholicum cura Episcopi Leopoliensis Athanasii Szeptytskyj prodiit, sed eius auctoritas ultra dioecesim praedictam non extendebatur. Nota vero eius characteristica doctrinalis in eo erat, quod Sancti schismatici e rubricis eliduntur, ceterum in ritibus ad Euchologium studio Academiae Ecclesiasticae Kioviensis, sub Metropolita Petro Moghila, anno 1646 publici iuris factum, accedit.⁶⁶

In fine, Pontificalia apud catholicos tunc temporis nonnisi manuscripta existebant. Exinde arbitrariae additiones, suppressiones vel mutationes in ea invehebantur. Ita alii Episcopi - uti e « *Memoriale proponendorum in futura Synodo...* » comperimur - quatuor Ordines minores, scil. Ostiariatum, Exorcistatum, Lectoratum et Acolythatum, alii vero nonnisi duos ultimos conferebant, dicentes quod primi duo in istis includuntur et ceteroquin nonnisi officia simplicia constituunt.⁶⁷

Porro, nonnulli Episcopi, in consecratione magni sacerdotum numeri, manum simul supra multorum caput imponendo, formam proferebant et interea Archidiaconus reliquorum caput omophorione (pallio) episcopali operiebat. Successive, amoto pallio, Episcopus manum qui-

⁶⁵ In eo omnes modificationes, quae decursu saec. XVII in dioecesibus antiquitus unitis obtinuerunt, continentur. Cf. J. BOCIAN, *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrysostomi apud Ruthenos subintroducitis, in Chrysostomica: Studi e ricerche intorno a S. Giovanni Crisostomo*, Roma-Pustet 1908, p. 947-948.

⁶⁶ N. PEKARSKIJ, *Opisanije slavjano-russkich knig i tipographij*, S. Peterburg 1862, p. 444-446; A. RAES, S. J., *Le Rituel Ruthene depuis l'Union de Brest, in Orientalia Christiana Periodica*, I (1935), p. 379-380.

⁶⁷ « Aliqui enim solum Lectoratum et Accolythatum conferunt, non vero exorcistatum et Ostiariatum, nam dicunt quod duo isti Ordines includuntur in primis, et deinde reputant istos duos esse officia simplicia; alii vero conferunt omnes « Minores Ordines »; *Arch...*, vol. 64, f. 200;

Apud Latinos septem vel potius octo (episcopatus), dum apud Graecos quinque vel ad summum sex Ordines numerantur, quia cantoratus et lectoratus verbo quidem distinguuntur et etiam officio, at uno et eodem ordinationis ritu conferuntur.

Cf. M. JUGIE, *Theol. Dogm. Christ. Orient.*, III, p. 401. - Idem ac apud graecos et apud Ucrainos numerus Ordinum fuit, at Synodi tempore mutationes obtinuerunt. Cfr. notam 64 in pag. 21. Cum igitur C. KOROLEVSKIJ de Pontificali manu scripto dioecesis Peremisiensis illius periodi, quod « donne le rite de la bénédiction du clerc lors de la première tonsure des cheveux », et ceux de l'ordination du portier, de l'exorciste, du céroféraire » scribat (in articulo *Le Pontifical dans le rite byzantin*, in *Orient. Chr. Per.* X (1944, 209), quod « ces rites, que l'on croirait imités du Pontifical romain, en sont au contraire très différents et d'une facture tout à fait orientale » errare videtur. Utique, est imitatio, sed habilis.

dem supra caput illorum, qui eo tecti erant, imponebat, at sine repetitione formae.⁶⁸

Nec abusus aliquorum parochorum, qui simultanee plurium puerorum confessiones excipientes, deinde super eos orationes legebant et ita confessos ad Sac. Communionem admittebant, in Synodo silentio praetereundus erat.⁶⁹

Alius adhuc et Quidem gravissimus in administratione praedicti Sacramenti abusus abolendus in eo consistebat, quod Episcopi secundum consuetudinem insolitam confessarios de dignitate ordinandorum interrogabant.⁷⁰

Urgentissima autem res erat, ut de Sacramentorum materia et forma clare a Synodo exponeretur doctrina, quia simplices sacerdotes in aceto, si eos vinum deficeret, consecrare posse censebant.⁷¹

Inculcandum et hoc erat, ne SS. Eucharistia in pyxidibus ligneis, chrisma vero in vasis vitreis conservarentur.⁷² Cum parochi indocti frumentum, butyrum et id genus rerum aliquando in ecclesiis reponerent, maior templorum nitor munditiesque a Synodo commendari debuit.⁷³

Denique Metropoli Leo Calendarium Julianum, quod etiam hodie Ucraini quoad dies festos sequuntur, Gregoriano, novo dicto, in Synodo substituendum esse existimabat. At cum magna circumspectione in isto negotio procedebat. Timebat enim, ne per hanc innovationem maiorem adhuc Schismaticorum et in specie Moscoviae Tsari contra Catholicos aversionem provocaret.⁷⁴

⁶⁸ De differentiis in ordinatione conquerebatur Metropoli in epistula ad S. Congr. de Pr. Fide (die 13 Aug. 1715): « De Pontificalibus taceo, tanta enim diversitate et distantia consecrantur presbyteri in dioecibus Luceoriensi, et Premisliensi ac Leopoliensi, quanta distare dignoscitur coelum a terra »; *Arch...*, v. 602, f. 359.

⁶⁹ Parochi frequenter multorum puerorum, inter quos sunt qui decimum ac etiam duodecimum annum agunt, insimul confessiones audiunt, legunt aliquas orationes super illos et postea admittunt eosdem ad Communionem; *Arch...*, vol. 64, f. 199. Consuli potest articulus C. KOROLEVSKIJ, *L'administration du sacrement de pénitence dans le rite byzantin*, in *Stoudion* an. 1925, pp. 36-45, 97-110, 129-136.

⁷⁰ « Tollatur abusus interrogationis, quem faciunt Episcopi Confessario sacerdotis mox ordinandi: utrum sciat illum esse dignum, aut non »; *Arch...*, loc. c.

⁷¹ *IBID.*

⁷² *IBID.*

⁷³ *IBID.*

⁷⁴ « Calendarium Novum per Russiam, quod Universi fere anhelant, a Maximo ad Minimum, qua via sine laesione, et periculo ulterioris contra Unitos exinde gravaminis a Carea (lege: Tsarea) Maiestate, sit acceptandum »; *Arch...*, vol. 64, f. 219. At idem negotium Nuntius Apost. aliter refert (die 3 Julii 1720): « Vedo per altro dalla lettera del P. Trombetti che gl'istessi Greci Uniti, tenaci de loro Istituti, si opporranno alla detta accettazione, onde bisognerà forse abbandonare il pensiero »; *Arch...*, vol. 4, f. 124 v.

Nam quamvis Regnum Poloniae independens esset, nihilominus ob bella et discordias internas ingressus sive militum sive gentium Tsari in eius confines facilis erat. Et non multos ante nostram Synodum annos Episcopum neoconversae dioecesis Luceoriensis a militibus moscoviticis a propria Sede pulsum fuisse, alio in loco iam innumus.⁷⁵

Alioquin ipse Metropolita odium Moscovitarum propter fidem catholicam expertus est. En quid ad rem in Actis S. Congregationis de Propaganda Fide ad annum 1718 legitur: «...avendo l'istesso Metropolita mandato in Moscovia alcuni Missionari a predicare la S. Fede Cattolica, furono questi carcerati e molto strapazzati dalli Scismatici, che volevano anco far prigionie, et uccidere il Metropolita, che si è salvato colla fuga; di che il medesimo Metropolita ne scriverà più distintamente all'Eminenze Vostre in appresso».⁷⁶

Valde igitur nunc Metropolitae in antecessum scire intererat, quid de re Tsarus eiusve ministri sentirent. Tunc die 19 Junii 1720 Nuntium Apostolicum rogavit, ut Legatum Tsari, principem Dolgoruki hac de re interpellaret.⁷⁷ Qui respondit, se cum de solis Catholicis-unitis ageretur nihil in contrarium habere, at quoad orthodoxos-separatos melius esset, ut eis Calendarium Iulianum sequi indulgeretur.⁷⁸

5. Ad Synodum demum relationes interrituales clarificare iuraque laesa vindicare spectabat.

Decreto S. P. Urbani VIII-i transitum a ritu ucrainico ad ritum latinum «quacumque de causa, etiam urgentissima, sine speciali Apostolicae Sedis licentia» sub poena nullitatis actus et aliis arbitrio Romani Pontificis infligendis, die 7 Februarii 1624, prohibitum fuisse non ignotum est.⁷⁹ Ratio prohibitionis erat, quia ob frequentes transitus, qui a presbyteris latino-polonicis fovebantur Ecclesia Ucrainica debilitabatur et poinde hoc orthodoxorum-separatorum conversioni nocebat, qui in ritu suo persistere optantes, dicebant Ecclesiam *Unitam* non nisi pontem ad latinizationem et, quod fere semper sequebatur, polonizationem constituere.⁸⁰

⁷⁵ Cf. supra p. 4.

⁷⁶ *Acta S. Cong. de Prop. Fide dell'an. 1718*, ff. 178-179. (E relatione Procuratoris Generalis Basilianorum ad Congr. Generalem, d. 21 Martii 1718, nr. 6).

⁷⁷ *Arch...*, vol. 4, 87. «Quoniam in futura Synodo Provinciali instituetur sermo de Calendario veteri in Russia abolendo, et Patres Theatini Varsavienses habent gratiam in oculis Principis Dolhoruki, enixe peto, ut Reverendissimus Pater Bellaviti insinuet dicto Principi, quod cogitemus eiusmodi negotium perficere, ad eum effectum, ut sciri possit, qua fronte acceptaturus sit eiusmodi loquelam, et capere mensuram de ipso Principali Serenissimo Moscoviae Caro (Tsaro)».

⁷⁸ *IBID.*, f. 166 v.

⁷⁹ *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 88v-89, nr. 13.

⁸⁰ M. MALINOWSKI, *Die Kirchen-und Staatssatzungen bezueglich des griechisch-katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien, Lemberg 1861*, p. 33 sq. Eodem

Tamen ob gubernii oppositionem decretum laudatum usque ad nostram Synodum formaliter in toto Regno publicatum non fuit.⁸¹ Consequenter violationes eius et querelae non cessabant. « Religiosa universitas - scribit Episcopus Leopoliensis Athanasius Szeptytskyj - et Saeculares Sacerdotes Ritus Latini ad mutandum ritum proprium personas unitas varijs modis compellant et sollicitant ... in Synodo Provinciali debet institui sermo obviando contraventioni Decreti eiusdem ».⁸²

Praeterea conviventiae pacificae inter duos ritus aliquae Episcoporum latino-polonicorum praetensiones obstabant. Unde in Synodo, an et quale fundamentum iuridicum haberent, discutiendum erat.

Imprimis Episcopi ucrainici suae iurisdictioni iniuriosum hoc reputabant, quod Episcopi latino-polonici eorum dioeceses visitare desiderabant.⁸³ En unus casus particularis: Anno 1717 Episcopus Chelmen-sis latinus inter decreta Synodi dioecesanae, cui et Episcopus item Chelmen-sis ucrainicus invitatus assistebat, inseruit quod ipsi visitatio fidelium ucrainicorum de consensu eorum Ordinarii competit. Successive decreta Romam pro approbatione et licentia typis edendi transmissa sunt. Singulare tamen id erat, quod Episcopus ucrainicus huiusmodi decreti, quamvis Synodo interfuerit, conscius non erat. At fortuna voluit, ut decreta illa in manus Procuratoris Generalis Basilianorum caderent, qui, cum statutum de visitatione perlegisset, non parum miratus est. Qua de re Episcopum connationalem interrogavit. Iste autem confestim S. Congregationi de Prop. Fide supplicavit, ut sua apud S. Congregationem Concilii intercessione illius visitationis, quatenus iurisdictionis Episcoporum ucrainicorum offensivae et maxime quia de ea in Synodo nulla mentio facta fuit, expunctionem curaret.⁸⁴

anno 1624, die 7 Julii, ad instantiam regis Sigismundi III, qui primi decreti publicationi (7. II.) se opposuit, aliud emanatum fuit, quo solis Ecclesiasticis transitus ad ritum latinum prohibitus fuit. Tamen postea, die 29 Julii an. 1631, S. Congr. de Prop. Fide declaravit: « Quo vero ad transitum Ruthenorum non esse recedendum a primo Urbani VIII decreto, et quia rex impedivit et impedit eius publicationem, mandavit Nuntio Poloniae scribi, ut cum Provincialibus praesertim Societatis Jesu officia alijs etiam Nuntiis ordinata repetat, videlicet ut illi confessarios suarum Religionum admoneant ex parte Sanctissimi Domini Nostri et S. Congregationis, ut abstineant a reductione Ruthenorum unitorum ad ritum latinum »; *IBID.* p. 37.

⁸¹ *IBID.*

⁸² *Arch...*, vol. 4, f. 146; Cfr. vol. 64, f. 219.

⁸³ « *Praecustoditiones ex Parte Cleri Ritus Latini, adversus Clerum Ritus Graeci, porrectae in Synodo Provinciali Zamoysciensi, per Ablegatos... Archiepiscopi Leopoliensis, et Premysliensis, Kamenecensis, ac Chelmen-sis Episcoporum Ritus Latini. 30-mo. Praecustodiatur... competentia... Loci Ordinariis Ritus Latini, visitandi Ecclesias Ritus Graeci, idque iuxta ordinationes Summorum Pontificum, praesertim in virtute Constitutionis Pii IV, quae incipit Romanus Pontifex... 16 Febr. Anno Domini 1564* »; *Arch...*, vol. 64, f. 501.

⁸⁴ *Acta S. Congr. de Prop. Fide del'an. 1718*, f. 334 (Ad Congr. Gen. 9 Mai 1718, nr. 27).

Praetensum ius suum Episcopi latino-polonici in Constitutione Pii IV «*Romanus Pontifex*» (16 Febr. an. 1564) et in Instructione Clementis VIII-i «*Sanctissimus*» (die 31 Aug. 1595) ad Italo Graecos datis, fundabant.⁸⁵ E contra, se populum et ecclesias distinctas habere et in unione cum Ecclesia Romana iurisdictione nec privatos nec Latinorum potestati subiectos fuisse Episcopi ucrainici apponebant.⁸⁶

Porro, Archiepiscopus Leopoliensis latinus, Joannes Skarbek, ius Metropolitae crucem ante se elevandi inficiabatur.⁸⁷ Ex adverso, sibi non modo in suis, sed etiam in ecclesiis ucrainicis idem ius deberi asserebat. Occasionem autem praefatus Archiepiscopus ex hoc sumebat, quod recenter Metropolita Leo Kiška in suo ad Leopolim pro consecratione Episcopi Athanasii Szeptytskyj descensu per integram civitatem cum cruce elevata procedebat. Hoc factum clerum nobilitatemque latino-polonicam valde commovit, imo «nisi - ut Archiep. Skarbek scribit - in-sperate successisset, alias clausam Civitatis portam, et alia inoptata expertus fuisset».⁸⁸

Quoad ius Ucrainorum pulsandi campanas, processiones et supplicationes publicas instituendi, pariter nunquam Episcopi latino-polonici contenti erant. At iterum praefatus Archiep. Skarbek in suis ad Synodum convocandam desideriis audiatur: «Tenentur etiam in singulis Civitatibus, Oppidis, Villis, ubicumque Ecclesiae Latinae existunt, observare illorum praeminentiam silentibus Campanis Ecclesiae Latinae illarum silere, etiamsi festum sollemne habeant. In multis locis Parochi Processionibus SS.mi Sacramenti in apparatus suis assistere, Evangelia in suo Ritu per Latinum cantare, et devotionibus omnibus publicis Latinis cedere, nec quidquam novi extraordinarii sine consensu loci Ordinarii latini innovare. Ad intimationes publicas eiusdem Loci Ordinarii latini se referre, qui semper habuit auctoritatem indicendi supplicationes, etiam in eorum Cathedralibus, et diem praefigendi. Unde haec semper observari debent».⁸⁹

Relate ad matrimonia mixti ritus, ut Episcopi ucrainici sibi schema Instructionis Clementinae («*Sanctissimus*» 1595) pro norma in Synodo assumerent, Episcopi polonici proponebant.⁹⁰ In ea statuitur: «Maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur. Latina uxor non sequatur ritum mariti graeci. Graeca vero uxor sequatur ritum mariti latini. Proles sequatur patris ritum, nisi praevaluerit mater latina».⁹¹

⁸⁵ *Fontes Cod. Juris Can.*, nr. 179.

⁸⁶ *Arch...*, vol. 64, f. 499v.

⁸⁷ *Ibid.*, fol. 227. «Proinde ne vigore Unionis (cum Ecclesia Romana) haec Crux praefenda praefendatur omnino (a Synodo) constituendum censerem»...

⁸⁸ *Loc. c.*; Cfr. f. 500, nr. 9 et 10.

⁸⁹ *Loc. c.*

⁹⁰ *Arch...*, vol. 64, f. 499.

⁹¹ *Fontes Cod. Juris Can.* I, nr. 179. Circumstantiae, quae huic instructjoni

Ad quae, Bullam Pii IV et Instructionem Clementis VIII-i pro Siculis-Calabris ceterisque Graecis, proprios praesules non habentibus, non vero pro ipsis, Metropolitana cum suis Episcopis respondebant. Hanc ob rem, ut coniuges suum quisque, proles vero iuxta sexum ritum sequeretur, exigebant.⁹²

Aliud punctum interrituale dilucidandum contributiones pecuniarias respiciebat. Parochi enim latino-polonici, praesertim in dioecesibus Peremyssliensi et Chelmensi non solum a suis subditis, sed etiam ab Ucrainis decimas requirebant.⁹³

Apud Ucrainos decimas clero solvendas a Principe Vladimiro Magno (†1015) institutas fuisse scire oportet. Quod privilegium ab eius successoribus, principe nempe Vladimiro Monomacho, Daniele, anno 1253 a S. P. Innocentio IV-o corona regali insignito, et filio eius

originem dederunt exponuntur in *Bessarione*, an. 1913, p. 444 sq. et in *Roma e l'Oriente* an. 1914 p. 339 sq. Norma ista, quae hic pro uxoribus graecis constituta erat, paulo postea ad ceteros Orientales extensa fuit. Cf. *Fontes Cod. Iuris Can.*, VII, nr. 4526, 4527; *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, I, nr. 417; II, nr. 1678. Deinde eadem norma per Const. Benedicti XIV-i «*Etsi Pastoralis*» (*Fontes Cod. Iuris Can.*, I, nr. 328) die 26 Mai 1742 ita emollita fuit, ut uxor graeca non amplius ritum mariti latini sequi teneretur. Tamen uxori latinae transitus ad ritum mariti graeci non permittebatur. Quae inaequalitas inter fideles latini et orientalis ritus respectu matrimoniorum ineundorum usque ad Const. Leonis XIII «*Orientalium dignitas*» (30 Novemb. 1894) viguit (Cfr. *Fontes Cod. Iuris Can.* III, nr. 627). Relate ad Ucrainos plus quam post saeculum a nostra Synodo in provincia Leopoliensi conventio inter Praesules utriusque ritus inita (an 1853) et decreto S. Congr. de Prop. Fide (die 6 Octobr. 1863) probata fuit (Cf. *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, I, nr. 1243), vi cuius proles in ritu parentum iuxta sexum educari debet. In Const. tamen «*Ea semper*» (die 14 Junii 1907), pro Ucrainis in Statibus Foeder. Amer. Sept. emanata, ad normam in «*Etsi Pastoralis*» statutam reditus factus est.

Cfr. A. S. S., t. 41, p. 9; Decreta successiva ante *Codicem Iur. Can.* scil. decr. *Fidelibus Ruthenis* (die 18 Aug. 1913) pro regione Canadensi, decr. *Cum Episcopo* (Aug. 1916) demuo pro Ucrainis in Stati Foeder. et decr. *Cum sal numerosiores* (die 27 Mart. 1916) pro Ucrainis in America Meridion. decernunt, uxorem sive latinam sive ucrainicam ritum viri sequi posse quin ex hoc nativi ritus mutatio obtineat, seu aptationem tantum ad ritum viri et non transitum permittunt.

Cfr. A. A. S., 5 (1913) p. 398; 6 (1914) p. 463; 8 (1916) p. 107. Post *Codicem* decreto *Cum data fuerit*, (AAS, 22 (1929) p. 152) pro Ucrainis in Stat. Foeder. et decreto *Grareci-rutheni* ritus (AAS, 22 (1930), p. 353) pro eisdem in Canada, ad normam can. 98, par. 4, statuitur, quod uxor in matrimonio ineundo aut eo durante ad ritum viri transire, matrimonio vero soluto iterum proprium resumere valet. At proles in ritu patris baptizanda praescribitur. - De his quaestionibus cfr. Adnotationes ad Decretum de transitu ad alium ritum (A. A. S., 32 (25 Maii 1940), p. 212) a Prof. D. STAFFA in *Apollinaris*, XIII (1940) p. 182-189, conscriptas Cf. Y. A. DUSKIE, *The canonical status of the Orientals in the United States*, Washington 1928, p. 40-53.

⁹² Quaestio haec semper renovabatur, dum de transitu ad Ritum Latinum res agebatur.

⁹³ Cfr. hac de re «*Desideria Ecclesiae Roxoloniae*», nr. 25, in *Arch...* vol. 64, fol. 434v-435.

Leone confirmatum fuit. At cum Statu ucrainico Lithuania (a fine saec. XIV) et deinde mediante ea Polonia potita esset, Episcopi et clerici decimas expetere cessarunt. Saeculo XVIII-o, praeter aliquas ecclesias metropolitanas, Chelmenses et Brestenses, nulla alia hoc favore gaudebat.⁹⁴

Secundum ius latinum, tunc temporis decimae personales illi parrocho, a quo fideles Sacramenta percipiebant, reales vero illi in cuius territorio bona decimabilia sita erant, cedebant.⁹⁵ In Regno Poloniae tamen solummodo decimae reales in usu erant.⁹⁶

Eadem de decimis quaestio anno 1665 apud S. Rom. Rotam inter Episcopum Chelmensem ucrainicum Jacobum Suša et Ordinarium latinum eiusdem loci exagitabatur et in favorem primi decisa fuit. Posterius, anno 1710, Episcopus Peremyliensis a S. Congr. de Prop. Fide: an eius fideles parochis latinis decimas solvere tenerentur, petebat. Tunc Congregatio Nuntio Apostolico commisit, ut pro bono pacis viam compositionis et non stricti iuris tentaret. At utrum concordia secuta esset ex actis non constat; videtur non, quia nunc denuo res in Synodo proposita fuit.⁹⁷

Tandem, ut a Synodo Sacramentorum fidelibus alieni ritus administratio inhiberetur, utraque pars expectabat.⁹⁸ Hoc tamen in pluribus casibus perdifficile erat, nam in districtibus, uti Ovrucensi, Zytomirensi, Braclaviensi ecclesiae latinae vel paucae vel nullae reperiebantur,⁹⁹ imo idem et de districtu - non de ipsa civitate - Leopoliensi valere videtur.¹⁰⁰

Age, nunc materiam ad Synodum abundantem et non semper faciliter solvendam propositam fuisse e praemissis liquet. At cum S. Congregatio de Prop. Fide vigilantibus oculis omnia aspiceret eius sensus votaque ad eandem Synodum attendenda manent.

⁹⁴ A. S. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja... Litopys 1700-1772 h.*, p. 119.

⁹⁵ Cap. Ad Apostolicae sedis, De decimis, c. 20, X, III, 30.

⁹⁶ *Arch...*, vol. 74, f. 33-34.

⁹⁷ *IBID.*

⁹⁸ *Arch...*, vol. 64, f. 219, 226.

⁹⁹ « Sunt in Lithuania eiusmodi districtus duntaxat Rzeczycensis, Mozyrensis, Polocensis Mscislaviensis, imo universi fere Districtus, in Regno vero Districtus Ovrucensis, Zytomirensis, et Braclaviensis, in quibus ecclesiae Ritus Latini vel paucae vel nullae reperiuntur. Fideles proinde Ritus Romani defraudarentur Sacramento Paenitentiae, si Parochi Graeci ab excipiendis eorum arcerentur Confessionibus »; *Arch...*, vol. 64, f. 499.

¹⁰⁰ « ...pare poco riuscibile in prattica la mistura dei Sacerdoti latini tra gli Esaminatori Sinodali del Rito Ruteno... particolarmente se si considera che fuori di Leopoli non si potrebbe uscire dalla nazione Polacca che nella diversità del Rito è infensissima contro l'altra »; Cfr. « *Sentimento... del Cardinal Spinola* », in *Arch...*, vol. 4, f. 10v.

Art. 2. Animadversiones S. Congregationis de Prop. Fide ad causas in Synodo tractandas.

Duabus sane vicibus S. Congregatio de Prop. Fide Synodi programmati aliquid adiungere vel illud modificare studuit.

Sub tempus, quo Metropolita Leo facultatem Synodum convocandi a S. Pontifice petiit (an. 1715), sacerdotes dioecesis Peremysliensis recursum contra simoniacas sui Episcopi exactiones apud Nuntiaturam fecerunt. At statim apparuit, quod idem abusus et in ceteris dioecesibus regnabat. Ubique enim, adhuc e schismatica periodo, a promovendis ad Ordines diversa pro subiecti facultate pecuniae summa postulabatur. Deinde antimensia et Olea Sacra nonnisi pretio determinato soluto parochis concedebantur. In fine, occasione Synodorum vel potius collationum dioecesarum, quotannis celebratarum, quibus omnes parochi intervenire debebant, aliud tributum titulo cathedratici Episcopis dari mos fuit.¹

Quibus attentis, Nuntius Apostolicus, ne dictas Synodos convocaret et ab illicitis exactionibus abstinerent, Episcopis inhibuit.² At isti ad S. Congregationem de Prop. Fide recurrerunt, maxime cum Nuntius eis inauditis inhibitionem emanaret.³

Omnes praestationes se a suis parochis exigere aiebant, at sine simoniae labe. « Verum quidem est, quod penes collationes Ordinum, contribuant episcopis ordinati - ita ipsi -, sed non pro Ordinibus; longe autem est alia formalitas accipere pro Ordinibus, et accipere penes Ordines; accipere pro Ordinibus est rem sacram vendere et simoniacum effici, accipere penes Ordines, est pro re alia, praeter sacram accipere, quod est omnino licitum, cum et episcopis a sigillis in collatione Beneficiorum indeterminata sit licita pensio ».⁴

Deinde, pro sua iustificatione hoc invocabant, quod nec annatam, uti Hispani, in beneficiorum collatione, nec annum gratiae, vi cuius, morte parochi secuta, Episcopi latini in Polonia omnes paroeciae fructus percipiebant, nec spoliū, pariter apud Episcopos latinos in Polonia in usu, exercebant et inde octo scudos romanos loco istorum omnium titularum merito exigere poterant.⁵

Synodorum dioecesarum quotannem celebrationem Concilii Tridentini praescriptione (in Sess. 24, cap. 2: de Reformatione) probabant. Et ulterius, ex decretis Congregationis Concilii et auctoritate Barbosaes

¹ Arch., vol. 602, f. 330-336; *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'an. 1716*, f. 84-87.

² *IBID.*, f. 355, 356, 357.

³ *IBID.*

⁴ *IBID.*, f. 300.

⁵ *IBID.*, f. 332-333.

in istis conventibus a parochis cathedraticum solvendum esse deducebant. Ceterum se non duos « solidos », uti vult memoratus auctor, sed unum a parochis requirere aiebant.⁶

S. Congregationi de Prop. Fide displicuit quod Nuntius in memorato negotio, inaudita altera parte, processit eique, ut inhibitionem revocaret, iniunxit. At cum extra dubium esset aliquas saltem Episcoporum exactiones simoniam veram constituisse, eas quam citius eradicare proposuit, mediumque ad hoc aptum vel visitationem apostolicam vel Synodum provincialem consideravit.⁷

At cum praecise aliquot ante menses ipse Metropolita pro licentia convocandi Synodum supplicasset et quamvis iam per Nuntium (die 27 Maii 1715) gratia ab eo petita concessa fuerit, nunc iterum (die 10 Martii 1716) Congregatio rescripsit: « esse convocandam Synodum pro aliis rebus, ut petit D. Metropolita Russiae a D. Nuncio, et supplicandum SS.mo pro Brevi, ut idem D. Nuncius autoritate Apostolica praesidere possit, cum hoc tamen, ut resolutiones capiendae remaneant in suspenso et nullatenus exequantur, donec a S. Congregatione Propagandae Fidei approbentur ».⁸

Ex quo patet, quod praeter causas in praecedenti articulo descriptas Synodus perinde de mandato S. Congregationis de Propaganda Fide ad abusus simoniacos ipsius Hierarchiae tollendos convocata fuisset. Deinde cur Nuntius Apostolicus et non Metropolita, uti ipse expectabat, in Synodi praesidentem deputatus fuerit, hoc facto explicatur.⁹

Secunda vice Synodi programma anno 1720 revisum fuit. Nuntius enim informationes et proposita, quae sive ab Episcopis sive a privatis personis ad Synodum facta erant, S. Congregationi de Prop. Fide communicavit, quaeque omnia diligenter perpendit ac iterum Nuntio-Praesidenti praecepit, ut alia negotia silentio praeteriret, alia via concordiae expediret, de aliis denique ad normam iuris in Synodo opportunas leges ferret.

Proh dolor, Instructionem S. Congregationis ad ipsam Synodum, ubi omnes quaestiones tractandae plene notabantur, in Archivis invenire

⁶ Unum solidum « in Polonia novem » iuliis respondebat. *Ibid.*

⁷ Nuntius ad Congregationem de Prop. Fide die 17 Apr. 1720: « i Vescovi esigono per le Consecrazioni da chi 8, da chi 10, e da chi 20 scudi romani, secondo la facoltà degl'Ordinandi; che ciaschedun sacerdote, quando è eletto il nuovo Vescovo, paga per i Portatili, o sia Antimis che il Prelato rimuova, giulj 10 incirca, e nelle Congregazioni solite farsi una volta l'anno giulj 12, à titolo di Cathedralico »; *Arch.*, vol. 4, f. 169 v.

⁸ *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'an. 1716*, f. 87.

⁹ Haec secundum P. Trombetti fuit causa, propter quam Metropolita, non obstante licentia obtenta, ipsam Synodi convocationem differebat; Cfr. *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'an. 1717*, f. 89-90. (Ad Congr. Gen. d. 1 Martii 1717, nr. 22).

non satagemus. Unde illa solummodo, quae ex aliis documentis fide dignis constant colligemus.

Praecipua S. Congregationis mens et praeoccupatio fuit, ut duobus malis, scil. simoniae et ignorantiae cleri mederet. Ad quem finem melius attingendum Nuntio praecepit, ut in genere in normis a Synodo futura condendis Concilium Tridentinum et Synodum Caroli Borromaei sequerentur.¹⁰ Imo quaedam puncta tractanda a Congregatione expresse indicata sunt. Necessario enim Synodi Praesidens curare debebat, ut 1, Synodus secundum praescriptum Caeremonialis Romani Episcopis intimaretur; 2, omnes in ea praesentes fidei professionem emitterent;¹¹ 3, de simoniis in collatione ordinum et administratione Sacramentorum tollendis disceptaretur; 4, materia et forma Sacramentorum examinaretur; 5, cultus et decor ecclesiarum inculcarentur; 6, catechismi Bellarmini in idioma vulgare translatio sollicitaretur; 7, taxa Innocentiana in Cancellariis episcopalibus praescriberetur;¹² 8, in quantum possibile, taxa in parochos pro Seminario imponeretur; 9, cathedra fixum stabiliretur; 10, nimius parochorum numerus reduceretur.¹³

¹⁰ Ex litteris Nuntii Ap. (die 10 Julii 1720): « Trovandomi alquanto incomodato, non posso haver onore di rispondere diffusamente alla benignissima lettera di cotesta Sagra Congregazione de' 15 del passato, capitatami questa mattina, insieme coll'istruzione in essa enunziata. Dico dunque solamente che mi studierò di eseguire ... ordini della ... Congregazione; e che quanto à i Sinodi celebrati da S. Carlo in Milano, i quali unitamente col sagro Concilio di Trento devono servirvi di regola in tutte le materie da trattarsi, e risolversi in quello de' Ruteni, li vò già con diligenza rivolgendo; ed appunto hò pensato di proporre frà le altre cose, che tutti i Provisti di qualche Beneficio, avanti esser ammessi ò instituiti dal Vescovo, debbano prestare il giuramento prescritto dall'istesso S. Carlo, per escludere la Simonia; mentre questo gioverà ad impedire che i nobili, Padroni de' Beni, a' quali generalmente appartiene il Iuspatronato delle Chiese Rutene, non possano esigere danaro per le Presentazioni, come hanno praticato sin'ora »; *Arch...*, vol. 4, f. 128; Cf. f. 12-13.

¹¹ Cfr. « Nota d'alcune riflessioni fatte dall'Emo Spinola sopra il Synodo Provinciale de' Greci Ruteni da celebrarsi in Leopoli nell'anno corrente 1720 »; *Arch...*, vol. 4, f. 12-13.

¹² *Ibid.* Reflexiones Cardinalis Spinolae in Instructionem Congregationis insertae sunt, uti ex litteris Nuntii Ap. confirmatur: « Ho già provveduto il catechismo del Cardinale Bellarmino per farlo tradurre in lingua rutena, coll'aggiunta di quello che si sistemerà opportuno per togliere gl'abusi, l'ignoranza de' Popoli dell'istessa Nazione; ma quanto alla Tassa Innocenziana, non essendomi finora riuscito di ritrovarla in questa Città, scrivo per maggior cautela tanto a Vienna. che a Venezia... Varsavia, 24 Luglio 1720 »; *Arch...*, vol. 4. f. 165.

¹³ Circa parochorum et ecclesiarum numerum aliqua prorsus fabulosa S. Congregationi de Prop. Fide exhibebantur. Die 24 Maii 1719 P. Jos. Mar. Redanaschi referebat: « che nella Diocesi di Premislia vi siano parochi di Rito Greco uniti tremila e novecento in circa; in quella di Leopoli tremila e seicento, e tanti e forse equal numero nelle Diocesi di Kelma, Luceoria, et altre . . . » (*Arch...*, vol. 64, f. 51). Similiter et Archiepiscopus Leopoliensis latinus J. Skarbek die 11 Junii

Praeterea Congregatio Nuntio Acta Synodi Brestensis (1596) et Kobrynensis pro eius maiore negotiorum Ecclesiae Ucrainicae cognitione transmisit.¹⁴

Noluit vero Congregatio, ut illae questiones, quas sub rubrica: « relationes interrituales » indicavimus, in Synodo suscitarentur.¹⁵ Ita relate ad ius elevationis crucis a Metropolita Nuntio insinuavit, ut ante Synodum partium reconciliationi incumberet, decreti prohibitivi transitum ad ritum latinum in toto Regno, nulla in Synodo de hoc mentione facta, curaret, pariter ut de sonu campanarum, visitatione ecclesiarum per Episcopos latinos omnino in Synodo sileret. In fine, et de decimis quamvis, uti legitur, « a prima vista par più che giusta l'istanza de' Ruteni », ¹⁶ ne sermo institueretur, Nuntio iniunctum fuit.¹⁷

Quod alia proposita ad Synodum attinet, ne Metropolita iura cum

1720 scribebat: « ... Quibus (abusibus) sane obviari posset constitutione frequentiorum Officialium Foraneorum cum jurisdictione, cum amplae Dioeceses habeantur, et ad quinque, sex, vel septem millia templorum in unaquaque habeatur, et unicuique plures Parochi Successores, exdivisis inter se fundis dotalibus Ecclesiae tanquam propriis Bonis Patrimonialibus, in certis locis obsequia praestare, et expedire Sacra cernantur »; *Arch...*, vol. 64, f. 226.

Cum igitur S. Congregatio sub influxu primae informationis (Patris Redanaschi) censeret ecclesiarum numerum nimium esse, in Instructione ad Synodum eum limitare commisit.

At status ecclesiarum longe alius erat. En quae Nuntius die 19 Septembris notat: « Le chiese per altro nelle Diocesi di Leopoli e Premislia, che hanno maggior popolo di tutte le altre, non ascendono a più migliaia, come mi era stato prima supposto (ipse enim die 17 Aprilis 1720 putabat « che l'ignoranza di quelli Ecclesiastici è grandissima; che il numero de' Parochi nelle Diocesi di Leopoli, e di Premislia ascende a molte migliaia; che la maggior parte di essi vivono *labore manuum* con esercizi rusticali »; *Conditio cleri socialis* utique lamentabilis erat, at numerus falsus; Cfr. *Arch...*, vol. 4 f. 169.) - e come generalmente si crede; imperocchè havendo io esaminato un Catalogo di quelle della Diocesi di Leopoli, fatto, per quanto mi ha assicurato il P. Trombetti, con grand'esattezza, trovo che non passano il numero di mille dugento in mille trecento; (catalogus iste invenitur in *Archivio* vol. 3, f. 57-76. In eo ecclesiae et nomina (non cognomina) parochorum signantur. Numerus omnium est 1287), e tante ancora, o poco più sono le Chiese della Diocesi di Premislia, come ho inteso da Persone pratiche » *Arch...*, vol. 64, f. 414. In reliquis dioecibus, secundum assertionem Metropolitae (die 1 Maii 1720) pariter numerus ecclesiarum tam magnus, uti delatores supponebant, non erat, quia dioecesis Luceoriensis mille, Vladimiriensis (et Brestensis simul unitae) septingentas, Chelmensis trecentas, Pinscensis centum viginti et Polocensis trecentas ecclesias respective habebant; Cfr. *Arch...*, vol. 4, f. 56.

¹⁴ *Lettere della S. Congr. de Prop. Fide dell'an. 1720*, vol. 109, f. 196.

¹⁵ Cf. supra p. 24-28.

¹⁶ *Arch...*, vol. 64, f. 33, 9°.

¹⁷ De his rebus cfr. *Lettere... dell'an. 1720*, vol. 109, ff. 195-197, 243-250; *Arch...*, vol. 64, ff. 31-33, f. 220 (ubi resolutiones ad puncta a Metropolita dantur): vol. 4, ff. 10-13.

monachis controversa tractaret, Congregationis votum fuisse comperimus.¹⁸

Deinde, quamvis ad iustitiae rigorem Episcopi ad restitutionem in aequali mensura pro simoniacis perceptionibus tenerentur, sed cum de consuetudine vitiosa, a schismate haereditata, ageretur et consequenter bona fides eis faveret, Congregatio consuluit, conformiter ac repraesentabat Nuntius, ut pro viribus unumquemque eorum ad aliquam summam restituendam obligaret eamque in fundationes apud Pontificium Collegium Leopoliense converteret.¹⁹

Quibus omnibus materia ad Synodum undequaque cribrata fuit nihilque manebat, ut ipsa aperiretur, de quo in capite sequenti.

¹⁸ *Lettere...*, vol. 109, f. 195.

¹⁹ *IBID.*, f. 247v-248; *Arch...*, vol. 4, f. 11.

CAPUT SECUNDUM

CONVOCATIO ET CELEBRATIO SYNODI

Primum Synodi convocandae tentamen anno 1715 incipit. Die enim 15 Februarii Metropolita Leo Kiška supplices ad Cardinales S. Congregationis de Prop. Fide preces direxit, ut sibi a S. Pontifice licentiam Synodum congregandi procurarent. Cum gaudio quidem eis tunc denuntiabat, quod districtus bini sat late patentis, scil. Ovruccensis et Zytomirensis, schisma eiurarunt et Ecclesiae Catholicae se aggregarunt ita, ut nec quidquam de Metropoleos terris, quae sub ditione Poloniae erant, excepto Mohiloviensi in Alba Russia ducatu, quod non Vicario Christi subiectum esset, manebat.¹ At simul ob haeresim Philippi, de Moscovia in Metropoleos confines invadentem, et ad disciplinam pietatemque restaurandam Episcopos ad comune consilium adunare optabat.²

Et Congregatio, re attente ponderata, decretum die 27 Mai (1715) emanavit, vi cuius Hieronymus Grimaldi, Archiepiscopus Edessenus et in Regno Poloniae Nuntius Apostolicus, memorato Leoni auctoritate S. Congregationis Archiepiscopos et Episcopos vacandi facultatem impertire debebat. At simul Congregatio voluit, ut decreta in Synodo ferenda in suspenso manerent, donec ab ipsa confirmarentur.³

Anno sequenti (1716) S. P. Clemens XI memoratum Nuntium in Synodi Praesidentem, cum iuribus et honoribus consuetis, per Breve die 20 Martii datum constituit et deputavit, adiecta tamen denuo clausula, ut decretorum executio usque ad examinationem differeretur.⁴

Nihilominus, per quatuor adhuc successivos annos, Metropolita Synodum a se desideratam non convocabat. Historicus J. Pelesz in perturbationibus generalibus in Regno Poloniae tunc existentibus causam istius dilationis reponit.⁵ Tamen non parvum, ut videtur, influxum etiam hoc exercuit, quod praecise illo tempore controversiae Metropolitae et

¹ *Arch...*, vol. 599, f. 375.

² H. LAEMMER, *In decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Friburgi Br. 1865, p. 5.

³ *Synodus Provincialis Ruthenorum habita... Zamosciae...*, ed 3-a, Romae 1883, p. 31.

⁴ *IBID.*, p. 40-41.

⁵ J. PELESZ, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, II, p. 422: Cf. A. THEINER, *Monuments de Russie*, Nr. 342, p. 489.

Episcoporum cum clero de illicitis exactionibus nondum finitae erant ac proinde timebant, ne eadem accusationes etiam in Synodo excitarentur.⁶

Utcumque solummodo initio anni 1720 Metropolita Nuntio Apost. suam intentionem convocandi Synodum manifestavit et uti locum, ob commoditatem intervenientium, civitatem Leopolim proposuit.⁷

Interea praeparationes proximae ex Episcoporum et Nuntii parte perficiebantur. Hic pluribus vicibus Patrem Trombetti, Rectorem Pontificii Collegii Leopoliensis et Polycarpum Phylpovyč, Archimandritam Pinscensem, de vero Ecclesiae statu et abusibus interrogavit, deinde autem a Metropolita et Episcopis puncta in Synodo proponenda postulavit. Pariter Episcoporum latinorum, in territorio Metropoleos Kioviensis suos fideles habentium, vota exquisivit. Quae omnia, uti supra diximus, a Congregatione perpendebantur.⁸

Sed cum ex parte Ecclesiae huic conventui via sterneretur, periculum novae eius dilationis ex parte Status ortum est. Magnates enim, ad quos notitia de Synodo pervenit, motum in Aula regia provocarunt, censentes ad Synodum celebrandam necessario consensum trium « ordinum » scil. senatorum, cleri et nobilium requiri. Notandum, illo tempore in Regno Poloniae regimen feudale viguisse. Inde solummodo tres memorati « ordines » officiis publicis fungi et in Dieta Regni de rebus publicis decidere valebant. Agricolae uti proprietas domini fundi, in quo vivebant, considerabantur ac cum ipso fundo vendi poterant.

In terris ucrainicis, quae ad Regnum tunc pertinebant, initio saeculi XVIII-i tres praecipui Magnates, scil. Visniowietski, Jablonowski et Pototski sua latifundia possidebant. Eis ob relationes familiares et alii principes. scil. Radziwil, Sanguško, Lubomirski etc. accedebant.⁹ Qui domini saeculares in suis bonis raro morabantur et loco eorum oeconomi omnia negotia expediebant.¹⁰

Relate ad clerum ucrainicum praefati Magnates non solum ei dignam assignationem in fundis non suppeditabant, sed potius varia servitia et pecuniam pro praesentatione, uti supra innuimus, ab eo requi-

⁶ P. TROMBETTI causam dilationis in eo videbat, quod Metropolita ob designationem Nuntii Apostolici et non suiipsius in Praesidentem Synodi offensus fuit. At haec ratio non sufficiens esse videtur. Cfr. *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'an. 1717*, f. 89.

⁷ « Stimando Monsignor Metropolita della Russia che io debba trattenermi la state prossima in Polonia, senz'essere più obbligato di seguitare la Maiestà del Re fuori del Regno, mi ha rappresentato che giudicharebbe necessario di tenere il Sinodo de Vescovi della sua Nazione... E per luogo da celebrarla avendo riguardo al comodo di tutti quelli, che dovranno intervenirvi, mi ha proposta la città di Leopoli, o altra della Russia »; *Arch.*, vol. 623, f. 442.

⁸ Cf. supra p. 29 sq.

⁹ *Arch. J. Z. Ros.*, Nr. I, t. II, p. XXXVIII-4.

¹⁰ *IBID.*

rebant. Si aliquis autem eorum subditus ad sacerdotium promoveri optabat, imprimis redemptionis pretium a servitute solvere debebat. Et ulterius principium « ex libero non nisi liber » agnoscere nolebant praetendebantque, ut sacerdotum filii, nisi se redimerent, sicuti alii agricolae opera rustica in eorum commodum exercerent.¹¹

Cum igitur nunc suspicarentur ac si in futura Synodo iura cleri ucrainici cum iuribus cleri latini aequiparari deberent, statim unus ex eis - Palatinus Podoliae - Regi repraesentavit, quod Synodi sine eius et trium « ordinum » placito celebratio magnum praeiudicium Regno crearet, cum in genere « bisogna star molto attento ad ogni passo della Corte di Roma perchè suol sempre guadagnar terreno ». ¹² Maxime autem timebant, ne decimas clero ucrainico a Synodo solvere obligaretur.¹³

Nondum satis, « Palatinus Russiae », J. Jablonowski, eadem magnatum praecustoditiones Nuntio Ap. in epistula aperuit, principes vero Wisniowietzki, et Palatini Podoliae et Cernihoviae apud Archiepiscopum latinum Leopoliensem contra Synodum protestati sunt eique, ut primo « Senatori Russiae », ¹⁴ inculcarunt, ut omne praeiudicium eis in Synodo obventurum impediret.¹⁵

¹¹ « Contano egualmente con un altro Villano loro suddito un figlio del Popo (sacerdote); onde pretendono, o che vadì ad arrar la terra, come fanno li altri, pure se vuol essere sacerdote, paghi redimento se a subdätatu »; *Arch...*, vol. 4, f. 147, (Ex litteris P. Trombetti ad Nuntium Ap., die 3 Julii 1720).

¹² *Arch...*, vol. 4, f. 124.

¹³ « Temono che non si dichiarì l'egualità fra Popi, e Parochi latini, dicendo che quelli sono Villani. Temono che non si statuisca la Decima manipolare da darsi alli Popi; ma circa il primo non tocca a loro questa materia; circa il secondo punto fondino e dotino le Chiese, altrimenti gl'istessi Vescovi Ruteni le leveranno de facto, come si dichiarò anche ieri Mr. Szepticki, essendo impossibile che i Parochi in molti luoghi non fondati possino sussistere. Circa poi le Decime, come dissi al Signor Palatino (di Russia), sara et è libero alli heredi l'accordarle, o nò, come alli Vescovi il levare le chiese, quando non sieno fondate. Sento ancora che potrà darsi fastidio il liberarli affatto dalle Decime delle api, e qualche altro aggravio, con perdere l'emolumento delle Presentazioni. Ma prendendoli soavemente con li modi innati all'E. V. faranno tutto »; Ex litteris P. Trombetti ad Nuntium, die 26 Junii 1720; Cfr. *Arch...*, vol. 4, f. 104.

¹⁴ Episcopi ucrainici, non obstante promissione Regis, initio unionis eorum cum Ecclesia Catholica (1596), et variis conatibus successivis ad Senatum et Diaetam Regni admissi non sunt. Anno 1718 Procurator Generalis Basilianorum nomine totius Episcopatus S. Congregationi de Prop. Fide pro eius interventu in favorem Metropolitanae supplicabat, quia « tanto Nobili de' Regno, quanto l'Ordine Equestre è favorevole in ciò al Metropolita, ad effetto, che anco vi concorra il Clero secolare latino, supplica, che si mandino Brevi di S. Santità e lettere di qu. S. Congregazione al Rè di Polonia, a Mons. Nunzio, all'Arcivescovo Primate del Regno, all'Arciv. latino di Leopoli et al Vescovo parimenti latino di Vilna, con raccomandar loro caldamente il desiderio, e l'istanza del Metropolita per il luogo predetto nelle Diete, e Senato per l'avvenire »; At rescriptum fuit: « Relata ». Cfr. *Acta S. Congr. de Prop. Fide dell'an. 1718*, f. 493. (Ad Congr. Gen. 29 Aug. 1718).

¹⁵ J. Jablonowski die 12 Junii 1720 ad Nuntium scribebat: « Mais... ils ap-

Tamen Nuntius Ap. difficultates interpositas superare satagit. Imprimis, nullum pro Regno damnum e Synodo derivaturum esse Regi persuasit, deinde per Patrem Trombetti principum Wisniowieski et Jablonowski timores dissipavit eosque ad ecclesiarum maiorem dotationem incitavit.¹⁶

Interea Synodi celebratio appropinquabat. Die 21 Maii (1720) Metropolita Leo litteras convocatorias ad civitatem Leopolim pro die 26 Augusti emanavit. Sed ob pestem, quae in praefata civitate saevire coepit, Synodus aliunde transferri debuit. Varias autem civitates proponebantur. Nuntio enim Peremyslia,¹⁷ Episcopo Leopoliensi Zovkva,¹⁸ Magno Regni « Mareschalcho » Javorovia et Metropolitae Chelma vel Zamoscia,¹⁹ uti locus conveniens, videbantur. Denique haec ultima civitas, Nuntio consentiente, electa fuit.²⁰

Ibi una hebdomada ante ipsum Synodi initium, scil. 19 Augusti, Nuntius Ap. se contulit et quamvis inexpectate advenerit a duce praesidii - civitas enim munita erat - triplici armorum explosione et sermone magistratus ante portas civitatis salutatus est.²¹ E clero ucrainico aderat iam Auditor Metropolitae, ut omnia necessaria pararet. Brevi postea

préhendent que ce Sinode authaurité et presidé d'un Legat Apostolique ne veuille egalizer le droits du Clergé Grec avec celui de Rome... Et je dirai à V. E. encore... que MMrs. les Princes Wisniowiecki, et les P.(rinces) de Podolie et Czernikowie ont protesté contre ce Sinode devant Mr. l'Archeveque de Leopold; c'est à dire ne quid in temporalibus sine consensu Ordinum innovetur»; *Arch.*, vol. 4, f. 225.

Magis concrete, imo cum aliquibus concessionibus, Palatinus Podoliae in epistula (die 7 Junii 1720) ad Archiepiscopum latinum Leopoliensem se exprimit: « Ora desidererei di sapere da V. S. Ill.ma con che autorità, e se con quella della Santa Sede il prossimo Sinodo debba essere convocato. Quando in esso si tratti di prescrivere agli Ecclesiastici le regole che hanno da osservare nell'amministrazione de' Sacramenti, cioè nel battezzare i fanciulli... sarà una cosa santa... Se poi il suddetto Sinodo si terrà affine di coequare il carattere de' Sacerdoti Greci con le prerogative de' Parrochi latini, ciò non si può fare senza il consenso di tutti gl'Ordini del Regno... Onde in virtù della mia Giurisdizione, che si stende sopra le terre del Palatinato di Podolia, mi protesto avanti V. S. Ill.ma, come Metropolitano del Rito Latino, e primo Senatore della Russia, e la prego, ch'ella nel prossimo Sinodo impedisca qualunque cosa, che possa recar pregiudizio al Jus temporale dell'Ordine Secolare»; *Litterae istae ab Archiepiscopo Leopoliensi Patri Trombetti communicatae sunt, qui traductionem earum curavit; Cfr. Ibid.*, f. 114.

¹⁶ *IBID.*, ff. 104-124 Cfr. notam 2.

¹⁷ Cfr. *Arch.*..., vol. 4, f. 149-150.

¹⁸ *IBID.*, ff. 168-169.

¹⁹ *IBID.*, ff. 140-141.

²⁰ *IBID.*, ff. 174-175. False omnino a G. CHRUSTSEVYĀ in opere: *Istorija Zamoj-skago Sabora*, asseritur (p. 183-186), quod non pestis, sed maior latinizandi ritus Ecclesiae possibilitas, quam Zamoscia praebere videbatur, vera causa translationis Synodi fuit.

²¹ *Arch.*..., vol. 4, f. 179-181.

P. Phylpovyč apparuit, qui Nuntio exactissimam de abusibus adhuc regnantibus notitiam tradidit.²² Ex Episcopis solus Athanasius Szeptytskyj, quem P. Trombetti comitabatur, ante diem 26 Augusti, ceteri vero, excepto Archiepiscopo Smolescensi, qui ob impedimentum non nisi die 12 Septembris Synodo se associavit, cum Metropolita mane dictae diei Zamosciani pervenerunt. Notare iuvat quod dioecesim Pinscensem Episcopus nominatus Theophilus Godebskyj, qui die 8 Septembris consecrationem episcopalem e Metropolita manibus recepit, repraesentabat.

En igitur elenchus omnium Episcoporum, qui Synodo interfuerunt: Leo Kiška - Metropolita et simul Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Florianus Hrebnytskyj - Archiepiscopus Polocensis, Laurentius Drutskyj-Sokolynskyj - Archiepiscopus Smolenscensis, Josephus Wyhovskyj - Exarcha totius Russiae et Episcopus Luceoriensis ac Ostrogiensis, Athanasius Szeptytskyj - Episcopus Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis, Josephus Lewytskyj - Episcopus Chelmensis et Belzensis, et Hieronymus Ustrytskyj - Episcopus Peremysliensis, Samborien-sis ac Sanocensis.

Praeter Episcopos, Protoarchimandrita Basilianorum a SS.ma Trinitate, Antonius Zawadskyj, octo Archimandritae, centum viginti novem sacerdotes - uti repraesentantes decanatum et officiorum, et fere omnes Basiliani - et duo nobiles laici, delegati Confraternitatis Leopoliensis stauropégiacae, scil. Stephanus Laskovskyj et Joannes czesnikovskyj, eidem Synodo adstiterunt.

Prima sessio sollemnis, statuta die, scil. 26 Augusti, in ecclesia parociali ucrainica, post Missam a Metropolita cantatam, locum habuit. In ea observatis illis, quae ad casum in Pontificali Romano praescribuntur, Praesidens Synodi, Nuntius Ap. Hieronymus Grimaldi orationem habuit, qua finita, imprimis Breve S. P. Clementis XI, de die 20 Martii 1716, vi cuius praefatus Nuntius ad Synodo praesidendum delegabatur, deinde vero aliud, die 19 Julii an. 1720 ad Metropolitam et Episcopos expeditum, lecta fuerunt.²³

Post haec Nuntius praelegi iussit decretum Concilii Tridentini de residentia necnon aliud de professione fidei, cui se conformando, omnes praesentes professionem fidei iuxta formulam a S. P. Urbano VII-o pro Orientalibus editam fecerunt, suaque nomina actis inserenda traderunt.²⁴

²² « Giunse quà il P. Filipovitz, il quale mi consegnò un'esattissima informazione degl'abusi, che regnano ancora fra Rutenj e de' rimedi, che giudica doversi applicare per estirparli, come da principio ne l'havevo richiesto; e quest'informazione mi è stata, e mi sarà di grandissima utilità »; *IBID.*, f. 183.

²³ Cf. *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae...* ed. 3-a. Romae, ex typographia polyglotta S. C. Prop. Fide, 1881, p. 40-43.

²⁴ *IBID.*; Cf. H. LAEMMER, *In decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Friburgi Br. 1865, p. 9.

Sessionem igitur istam mere formalem fuisse patet. Notatu tamen dignum est, Breve ad Metropolitam et Episcopos, in quo Summus Pontifex gaudium paterni cordis sui de concepto Synodi consilio ad constituenda salubriora remedia, per quae errores, temporum calamitate inveciti, praesertim illi in ministrorum electione, extirparentur et populi ad illibatam constantemque fidei professionem revocarentur, expressit.

Interea in sessionibus particularibus variae quaestiones examinabantur. Die sequenti, uti refert Nuntius, Episcopi soli in Metropolitae habitatione congregati sunt, ubi praesertim de simonia in administratione Sacramentorum disceptarunt decreveruntque, ut vitium istud aboleretur.²⁵ In genere omnes discussiones successivae pacifice procedebant et Nuntius cum debito honore exceptus fuit.²⁶ Tamen, iuxta eius verba: « Quanto alle materie agitatesi nel Sinodo, tutto ciò che poteva dar cagione di disputa con i Signori Vescovi latini, e con la Nobiltà del Regno, o si è tralasciato, o si è rimesso alla S. Sede, affinché sentite le Parti, possa decidere quel che sarà di ragione ».²⁷

Secunda sessio sollemnis die prima Septembris pariter characterem mere formalem habuit. Missa a Metropolita celebrata et precibus et hymno Veni Creator a Nuntio praemissis, iuxta ritum et praescriptum Pontificalis Romani, lecti fuerunt casus reservati in Bulla *Coenae Domini*, Constitutio Gregorii XIV, die 28 Maii 1591 edita, de immunitate ecclesiastica, qua ecclesiae et loca sacra gaudent et Constitutio Clementis XI-i « *Unigenitus* », qua errores Quesnelii condemnati sunt.²⁸ Deinde aliqui parochi et decani, qui sero venerunt, fidei professionem in manus Nuntii emisierunt.

²⁵ « ...Nel di seguente si congregarono i Signori Vescovi in casa di Monsignor Metropolita per discorrere fra di loro specialmente della Simonia, et havendo essi mandato da me Monsignor Arcivescovo di Polosko, accompagnato da due Archimandriti, con i quali ebbi lunghissimo discorso, e poi anche l'Archimandrita Milecense, confidente di Monsignor Metropolita, fu risoluto di abolire qualsivoglia esazione solita praticarsi per l'addietro, tanto nella collazione degl'Ordini, quanto nella distribuzione degli Ogli Sagri, e degl'Antimis, o sia Portatili, e di provvedere al sostentamento d'e Vescovi per mezzo del Catedratico. Varie furono le difficoltà eccitate, e le proposizioni fatte sopra questa materia per parte de' Signori Vescovi; ma havendo finalmente conosciuto che dovevano astenersi non solamente per riguardo della propria coscienza da qualunque Simonia, ma anche per onore loro..., convennero nella determinazione sopraccennata; ed in questo devo confessare che non hanno dimostrato alcuna pertinacia, ma che si sono acquietati nelle mie persuasioni con maggior docilità di quello che credevo... Fin'ora non posso che lodare la disposizione, che dimostrano, non havendo ripugnato in alcun punto essenziale... E qual lode devo retribuire per ciò che riguarda l'onore che fanno, e il rispetto, che usano verso la rappresentanza Pontificia nella mia persona... »; *Arch.*, vol. 4, f. 185-186.

²⁶ *IBID.*

²⁷ *IBID.*, f. 188.

²⁸ « Domenica passata fu tenuta la seconda sessione, perchè nel giorno antecedente ch'era stato a ciò destinato, Monsignor Metropolita si trovò alquanto

Tertia et ultima sollemnis sessio, primum in diem septimam Septembris assignata, deinde in decimam septimam Septembris prorogata fuit. At ei Episcopi cum paucis e clero minori interfuerunt, quia maior eiusdem pars ob expensas cum commoratione in aliena civitate coniunctas domum rediit, imo ipsi Episcopi, ob easdem rationes ut Synodo finis imponeretur, optabant.²⁹ Exinde aliquae res, quae optime resolvi poterant, insolutae manserunt.³⁰

Praemissis denuo a Nuntio orationibus e Pontificali Romano, integra haec Sessio lectioni decretorum in decem et novem titulos distributorum dedicata fuit. Praeterea a Synodo « quaestiones in visitationibus indagandae » compositae sunt. Haec modo valde practico concinnatae visitoribus ob oculos ponunt, ad quasnam res animadvertere debeant.³¹

Ipsa decreta cum brevi commentario in capite sequenti exponemus. Unum solum hic dicendum, quod necessitatibus et erroribus per ea satis provisum fuit, nam et normas claras in Sacramentorum administratione et praecipuas regulas ad cleri reformationem contineant. In eadem sessione summa cathedralitici statuta est, duo nempe « imperiales » in diocesis Vladimiriensi-Brestensi, Luceoriensi, Leopoliensi, Premisliensi, Chelmensi et Pinscensi, in dioecesi vero Polocensi duo « imperiales » cum dimidio. At relate ad eius exactionem duo opportune decisa sunt, ut parochi ipsi illud ad decanos per se vel per alios conferrent, dum antea decani ad eorum domos descenderent; et secundo, ne eorum ecclesiae, qui statis temporibus non solverint, indicerentur et obsigillarentur, uti pariter primum mos fuit, sed ut in duplum mulctarentur.³²

indisposto; ma nella Sessione medesima altro non si fece che leggere alcune Costituzioni Apostoliche non ancora pubblicate in tutte le Diocesi Rutene, e ricevere la Professione della Fede da varij Decani, e Parrochi sopravvenuti dopo la prima Sessione. I Decreti de Sinodo, che erano già stati formati, non furono letti, perchè mancava la traduzione latina de' principali errori dell'Eresiarca Filippo, i quali si è stimato bene d'inserire nel Decreto, con cui viene condannata la di lui orrenda setta ». *Arch...*, *loc. c.* (E litteris Nuntii, die 5 Septembris 1720).

²⁹ « E' tale la premura, che fanno i Signori Vescovi Ruteni per la terminazione del Sinodo, affine di evitare le spese, alle quali soggiaciono stando lontani da i loro Beni, che appena ho potuto questa mattina con vivissime istanze ottenere da essi che l'ultima sessione venga differita per due, o tre altri giorni, essendovi ancora molti Decreti da stendere, e qualche punto importante da risolvere. Buona parte del Clero minore è già partita di qua per l'istessa ragione delle spese, e non potendo io sperare incontro alcuno che i Signori Vescovi vogliano trattenersi, conviene ad un Istruzione, che si è risoluto di far comporre, e dare alle stampe per uso dei Parochi... »; *IBID.*, f. 195.

³⁰ *IBID.*

³¹ Tamen aliqua interrogatio sat mira non desideratur: ex. gr. illa « De parochia »: « an habeat decentem coronam et tonsuram capillorum ». In aliquibus Metropoleos Kioviensis partibus, puta in provincia Lithuana, mores ritus latini a sacerdotibus Basilianis tunc invehantur.

³² *Arch...*, vol. 64, f. 426.

Tamen taxa pro Cancellariis episcopalibus determinata non fuit. Illa enim, quam Episcopi proponebant Nuntio Ap., nimis alta videbatur et cum ipsi domum properarent, hoc punctum Nuntius immediate cum Metropolita considerare posteaque ceteris Episcopis ad approbandum proponere sperabat.³³

Sub fine Synodi « agens » Episcoporum latinorum, scil. Archiepiscopi Leopoliensis et Episcoporum Premisliensis, Camenecensis ac Chelmenensis, sic dictas « *Praecustoditiones adversus Clerum ritus Graeci* » Nuntio Ap. porrexit.³⁴ Illae nihil aliud nisi negotia interritualia, quae supra notavimus, respiciunt.³⁵ Varia enim Episcoporum praefatorum desideria hic in triginta duo numeros divisa exponuntur, scil. de visitatione dioecesium ucrainicarum per eos, de pulsu etc. Ceteroquin iam aliquot ante Synodum menses Archiepiscopus Leopoliensis in suis ad Nuntium Ap. litteris fere idem expressit. Nunc vero Nuntius ab istarum praecustoditionum in publica sessione disceptatione abstinuit et solummodo Metropolitae eas communicavit, qui, auditis ceteris Episcopis, responsa deinde Romam transmissa dedit.³⁶ De pluribus ex his Episcoporum latino-polonorum desideriis a S. Congregatione de Propaganda Fide, ne in Synodo suscitarentur, iniunctum erat.³⁷

Synodo absoluta, Metropolita in signum gratitudinis aestimationisque crucem pectoralem et Episcopus Leopoliensis anulum cum petris pretiosis Nuntio Ap. donaverunt, quae dona iste accepit, at immediate ea pro augmento Collegii Pontificii Leopoliensis obtulit.³⁸

³³ « Manca nel fine di esso (dell'estratto degl'atti del Sinodo) la tassa per le Cancellerie Vescovali, di cui si fa menzione nel titolo 8°, perchè havendo i Signori Vescovi Rutheni proposta una Tassa, che si osserva nella Diocesi di Vilna, la quale stimai espediente di moderare, furono poi g'istessi Prelati tanto affrettati di partire, che non diedero... l'ultima risoluzione, ed io sto aspettando... l'arrivo... di Mons... Metropolita... per... regolare la Tassa medesima, che in tal caso sarà facilmente approvata dag'altri Vescovi; ed in appresso havrò l'onore di trasmetterla alla Sagra Congregazione »; *Ibid.*, f. 420.

³⁴ *Praecustoditiones ex parte Cleri Ritus Latini, adversus Clerum Ritus Graeci*, porrectae in Synodo Provinciali Zamoyscensi per Abligatos, Illustrissimorum Excellentissimorum, et Rndmorum Dominorum Archiepiscopi Leopoliensis, et Premysliensis, Kamenecensis ac Chelmenensis Episcoporum Ritus Latini »; *Arch.*, vol. 64, ff. 499-501.

³⁵ Cf. art. 2 in cap. 1.

³⁶ *Arch.*, loc. c.

³⁷ « Sul fine del Sinodo mi furono consegnate per parte de' Signori Vescovi latini alcune domande, le quali non giudicai bene di far leggere in piena Assemblea, per evitare le querele e le amarezze, che prevedevo poterne nascere; ma le comunicai in particolare a Monsignor Metropolita, il quale dopo haver conferito cog'altri Vescovi, vi fece la risposta... »; *Arch.*, vol. 64, f. 421.

³⁸ « Mons. Metropolita prima di partire di quà (Zamoscia) mi mandò una Croce Pettorale di Crisoliti con catenella d'oro per appenderla al collo, secondo l'uso di queste parti, e Monsignor Vescovo di Leopoli mi regalò un'anello di Zafiro con alcuni piccoli diamanti. Io stimai bene di accettare l'uno e l'altro dono,

Denique, pauca verba de Synodi compositione hic addenda sunt. Iuxta S. Congregationis de Propaganda Fide praescriptum, Concilium Tridentinum et Synodus Mediolanensis Nuntio uti exempla pro materiis in Zamostiana tractandis inservire debebant. Et revera Actis Ecclesiae Mediolanensis perlustratis, ordinem rerum nostrae Synodi a prima Synodo Mediolanensi, sub Carolo Borromeo, ad Concilii Tridentini decisiones ad effectum deducendas celebrata, imprimis dependere concludimus.³⁹ Synodus enim ista in tres dispescitur partes, quarum prima de fide, secunda de Sacramentorum et tertia de piorum locorum administratione agunt. Singulae vero partes non per titulos, sed per inscriptiones subdividuntur. Ita ex. gr. prima primae partis inscriptio incipit: « de professione fidei », deinde: « de praedicatione verbi Dei... etc...

In secunda parte prima inscriptio habet: « de iis quae ad Sacramentorum administrationem pertinent », altera: « quae pertinent ad Baptismi administrationem » et ita porro de singulis Sacramentis. In hac etiam parte de Clero, de Episcopis, de residentia et visitatione disseritur. In tertia autem parte inscriptiones « de piorum locorum administratione » et « de monialibus » recurrunt.

Nunc Synodus Zamostiana non in partes, sed in titulos dividitur, quorum solus tertius, cum de Sacramentis normas contineat, in paragraphos sua vice subdividitur. At inscriptiones Synodi Mediolanensis fere verbotenus, aliquibus evidentiter omissis, rubricis titulorum Zamostianorum correspondent. Sic primus titulus: « de Fide Catholica », secundus: « de praedicatione verbi Dei... », tertius: « de Sacramentis eorumque administratione », etc. audent. Deinde textus iuramenti in titulo decimo quarto, quo ad beneficium institutus, se nihil patrono pro collatione eiusdem obtulisse declarat, ex praefata prima Synodo Mediolanensi mutuatus est⁴⁰. Hoc pacto iterum id ob quod S. Carolus sibi gratulabatur verificatum est: « Neminem vestrum latet — aiebat ipse, — quia nostra haec Concilia, haec Synodi, haec decreta transgrediuntur maria, transvolant montes, penetrant longinqua regna et provincias, intrant remotissimas civitates, ac a gentibus, quas nunquam agnovimus, desiderantur, expetuntur, recipiuntur, et maximo cum fructu ipsi ea omnia, quae hinc veniunt complectuntur ».⁴¹

non per me, che ero stato benignamente provveduto da cotesta Sagra Congregazione (tre mila scudi) ma per il Collegio Pontificio di Leopoli... » *IBID.* f. 415v.

³⁹ *Acta Ecclesiae Mediolanensis ab eius initiis usque ad nostram aetatem*, opera et studio Presb. Achillis Ratti, vol. secund., Mediolani 1890, col. 29-156.

⁴⁰ *IBID.*, col. 59-60; *Synodus Provincialis... habita... Zamosciae*, ed. 3-a Romae 1883, p. 116.

⁴¹ *IBID.*, p. I-II.

CAPUT TERTIUM
DE SYNODI DECRETIS EORUMQUE VI

Synodus nostra in undeviginti titulos dividitur, quorum primi duo characterem praevalenter dogmaticum habent, tertius in octo paragraphos subdivisus - normas in Sacramentorum administratione, ceteri vero decreta ad cleri regimen spectantia tradunt. Eundem ordinem sequentes, totam materiam cum brevi commentario tribus absolvemus articulis, scil. de decretis dogmaticis in primo, de normis in Sacramentorum administratione servandis in altero et de decretis ad Cleri regimen spectantibus in tertio disseremus.

Cum autem a Synodi celebratione plus quam duo saecula elapsa essent, quae statuta, quia necessitatibus illius temporis accomodata, non amplius vigeant quibusque in Synodo successiva, scil. Leopoliensi, sive extra eam derogatum fuerit indicemus oportet.

Sedulo tamen notandum, derogationes Synodi Leopoliensis (an. 1891), uti et decreta, non nisi in provincia Ucrainorum ecclesiastica Leopoliensi teneri, dum e contra decreta Zamostiana omnes Ucrainos antiquae Metropoleos Kijoviensis Catholicae ligant. Proinde Ucraini in Republica Cecho-Slovachiae¹ et in Romaniae Regno (Bucovina, Bessarabia) neutrae Synodi dispositiones nisi aliquod Sanctae Sedis documentum, mihi ignotum, contrarium probet, observare debent.* Ratio autem in comperto est, quia utraque Synodus provincialis est ideoque ex natura sua in alienos subditos vim suam exserere non valet.

Tempore Synodi Zamostianae Ucraini declivia meridionalia montium Carpathicorum incolentes et in dioecesim Mukaciensem constituti, sub immediata S. Congregationis de Propaganda Fide dependentia vivebant. At cum Primas Hungariae, Archiepiscopus Strigoniensis, tum Episcopus latinus Agriensis, iurisdictione in fideles proprii ritus non contenti, eandem etiam in eos sibi vindicabat, serius per Bullam Clementis XIV: «*Eximia regalium*» (die 19 Septembris 1771) quaestio ita soluta est, ut Episcopus Ucrainorum Mukaciensis a Hungariae Primate dependeret et dioecesis confines in favorem Episcopi Agriensis restrin-

* Anno 1956 A. BARAN in articulo «*Obligatio Synodi Zamostianae in Ucraina Carpathica saec. XVIII (Analecta OSBM, vol. II, pag. 525)*» contrarium recentioribus quibusdam documentis probare conatur. Cfr. etiam eiusdem auctoris: *Metropolia Kioviensis et Eparchia Mukačoviensis*, Romae 1960, ubi relationes inter utramque usque ad Synodum Zamostianam illustrat saeculorum decursu.

¹ Post annum 1939 fere omnes Regno Hungariae adnexi.

gerentur.² Praeterea tota legislatio per Constitutionem Benedicti XIV « *Etsi Pastoralis* » (die 26 Maii 1741) pro Italo-Albanensibus, proprios Episcopos non habentibus, lata, per Bullam praefatam apud Ucrainos Mukacienses introducta fuit.³

Silentio tamen minime praetereunda est opinio contraria quae apud « *Codificazione Canonica Orientale, Fonti* », VIII, p. 596, ita enuntiatur: « Pius PP. VII in Constitutione » *In Universalis Ecclesiae Regimine* », anni 1807, decernit ut Synodus Zamostena ab universa natione Ruthena observetur ». Quod perperam, uti videtur, ab auctore asseritur.

Animadverti enim oportet quod cum, Metropolia Kijoviensi Catholica inter duo Regna (scil. Russiam et Austriam, ann. 1772-1795) divisa, de erectione Metropoliae Leopoliensis pro Ucrainis, qui recenter Austriae incorporati sunt, sermo esset, propositum fuit, ut novo Metropolitae etiam dioecesis Mukaciensis et in genere omnes Ucraini in « Imperio » Austro-Hungarico subiecti essent.⁴ Sed ob oppositionem Cancellariae Hungaricae consilium istud ad effectum deductum non est.

² *Ius Pontificium de Prop. Fide*, IV, p. 176-178. Ante suam ad Ecclesiam Catholicam conversionem Ucraini in dioecesi Mukaciensi a proprio Episcopo regebantur. Post schismatis autem abiurationem (an. 1652) Episcopus Agriensis latinus, ut ab ipso (Vicario rituali separato instituto) dependerent, contendebat. Ius suum Episcopus praefatus in canone nono Concilii Lateranensis IV-i fundabat, vi cuius in eodem territorio nonnisi uni Episcopo exercitium iurisdictionis ordinariae permittitur.

De Ucrainis Mukaciensibus cfr. J. BASILOVITS, *Brevis notitia fundationis Theodori Koriathovits olim ducis de Munkacs pro religiosi ruthenis Ordinis sancti Basilii Magni in Monte Czernek ad Munkacs, anno MCCCLX factae, exhibens seriem Episcoporum graeco-catholicorum Munkacstensium, Cassoviae 1799-1804*, 2 vol.; J. DULIŠKOVIČ, *Istoričeskija čerti Ugro-Russkich*, Ungvár 1874-1877, 3 vol.; HODINKA ANTAL, *A Munkácsi görög szertatásu püspökseg okmánytára* (Codex diplomaticus Episcopatus Mukaciensis ritus graeco-catholici), Ungvár 1911; R. MARTEL, *La Ruthénie subcarpathique*, Paris 1925.

³ *Ibid.* Anno 1818, die 22 Septembris, secunda dioecesis in civitate Priašiv (Eperies), anno vero 1912, per Bullam « *Christifideles* » (die 8 Junii) pro illis qui variis modis « denationalizati », uti dicitur, fuerunt seu Hungaros se iam nominabant, tertia dioecesis in Hajdudorog creata fuit Cf. *Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei Fedeli di rito orientale*, Tipografia Polyglotta Vaticana 1932, p. 222-226.

⁴ *Arch...*, vol. 11, f. 544. Vienna 24 Febr. 1774. Dall'E.mo Signor Card. Visconti. - Mi è stata motivata l'idea qui formata, e che si sta ora maturando, di chiedere alla Santà Sede, che l'attuale Vescovo Greco di Leopoli sia fatto Metropolitano nel nuovo Cordone Austriaco, e che oltre i Vescovi Greco-Uniti di quel Distretto, anche gli altri pochi Vescovi dello stesso Rito Cattolico, sparsi per l'Ungheria, debbano dipenderne in avvenire.

Quanto alla novella incombenza onde vengo incaricato, d'eccitar... questa Corte a rimuover quella di Pietroburgo dal manifesto proposito di voler ristringersi ad un solo Vescovo nel Governo Spirituale di tutti quanti i Cattolici compresi e nella Russia Polacca, e nell'intero tratto del Russo Impero... non mancherò di prevalermi di tutti i Documenti trasmessimi, e di tutti i mezzi più efficaci per incaminare a dovere il giustissimo oggetto... ».

Unde in Constitutione memorata, qua Metropolia Leopoliensis erigitur, nonnisi duo Episcopi suffraganei, scil. Premisliensis et Chelmensis ei assignantur.⁵ «Eidem insuper futuro ac pro tempore existenti Leopoliensis et Haliciensis unitarum ecclesiarum Metropolitanae... facultatem concedimus nominatos ad suas suffraganeas episcopales ecclesias Kelmensem et Premisliensem... auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmandi et instituendi, munusque consecrationis impendendi iisdem modo et forma, quibus facultas huiusmodi Metropolitanato Kioviensi ab... Clemente PP. VIII... fuerat elargita».⁶

Immediate autem post relata verba pergit: «Volumus etiam, quod omnia et singula, quae statuta fuerunt in laudata Zamosciae Synodo, per Apostolicam Sedem confirmata, nunc et in posterum a Leopoliensi et Haliciensi Metropolita, atque ab Episcopis Kelmensi et Premisliensi, et ab universa natione Ruthena observentur, firmis... apostolicis constitutionibus... super ritibus graecorum...».

Primo ad aspectu videretur ac si sub vocibus «universa natio Ruthena» etiam Ucraini Mukacienses comprehendendi deberent, at cum ex his, quae de historia illius Constitutionis praemisimus, tum potissime ob passus, qui in eadem Constitutione sequuntur, contrarium elucet. Per novae enim Metropoleos erectionem se nullum iuribus ac privilegiis Ecclesiae Metropolitanae Kijoviensis praeiudicium inferre nec quidquam «super Ordine Regulari Monachorum Sancti Basilii Magni eiusdem Ruthenae nationis» innovare S. Pontifex subiungit.⁷ Manifestum autem est, quod monachi «eiusdem Ruthene nationis», quae supra «universa natio Ruthena» audebat, illo tempore nonnisi in Metropolia Kijoviensi in Ordinem exemptum (ab. an. 1743) redacti fuerunt. Quapropter per expressionem-concedimus inexactam- «universa natio Ruthena», in praefata Constitutione universus antiquae Metropolitae Kijoviensis populus, qui sicuti ante ita et post eius inter duo Regna dismembrationem omnia et singula decreta Zamostiana observare tenetur, intelligi debet. Proinde Synodus Zamostiana sicuti prius ita et post Constitutionem «*In Universalis Ecclesiae regimine*» quoad vim suam provincialis remansit.⁸

Art. I. — Decreta dogmatica.

Puncta enucleanda sunt sequentia: 1. professio fidei; 2. «Filioque»; 3. commemoratio Romani Pontificis; 4. communicatio cum extraneis in divinis; 5. haeresis Philippi damnanda; 6. censura librorum; 7. catechisatio populi diebus festivis et dominicis; 8. catechismus pro populo et clero edendus.

⁵ *Ius Pontificium de Prop. Fide*, IV, p. 493-497.

⁶ *IBID.*, p. 406.

⁷ *Cfr. IBID.*

⁸ *Cfr. opus recentissimum M. STASIV, Metropolia Haliciensis (eius erectio, suppressio et restauratio)*, Romae 1960, ubi transitus hic inter antiquam Metropol. Kioviensem et novam Haliciensem illustratur, plurimis adductis documentis.

Praemittendum est quod Synodus Leopoliensis « ea omnia quae de catholica fide in Synodo Zamoscena... statuta fuerunt » retinenda declarat.¹

1. - Usque nunc in Metropoli Kijoviensi frequens fidei professio contra ac in Ecclesia Latina, a protestantismo exorto, in usu non erat. Semel tantum illi qui ad Ecclesiam Catholicam convertebantur eandem, iuxta formam ab Urbano VIII-o praescriptam, emittebant.² E contra, Synodus ad normam Concilii Tridentini (Sess. 25, cap. 12: de Reform.) et Constitutionis Pii IV « *Iniunctum Nobis* » (die 13 Novembriis 1564) iubet, ut provisi de beneficiis, curam animarum habentibus, in manibus Ordinarii vel eius Officialis, ad Episcopatum promoti in manibus Metropolitanæ, Abbates et Archimandritæ coram quo de more, Sacris Ordinibus initiandi in manus Ordinantis, magistri et ad gradus academicos promoti in manus Episcopi actum professionis sincere repetant.³

Praeterea ab illis, qui in monasteria sive mulierum sive virorum cooptantur, similem professionem fidei exigit.

At quaeri potest: coram quo Religiosi profiteri teneatur? Synodus enim solum dicit, quod « statim ac in ordinem cooptabuntur emittant ». Sed solutio ex antecedentibus patere videtur. Voluerunt nempe Patres, ut, Actis Synodalibus promulgatis, omnes utriusque sexus Religiosi intra tres menses in manibus Ordinarii vel personae ab ipso delegatae fidem profiterentur, unde et in posterum idem valet.

Sanctiones in negligentes sunt: omnes peccatum grave committunt, praeterea Episcopi fructus beneficii non faciunt suos, Archimandritæ vero et presbyteri ab officio deponendi sunt. Periuri vel a fide catholica desertores, si Episcopi fuerint, a Metropolitana ad Sanctam Sedem, si presbyteri vero vel monachi, ad Ordinarios locorum pro punitione deferri debent.

2. - Hucusque in libris liturgicis symbolum fidei sine particula « Filioque » impressum fuit; Synodus autem decernit, ut in omnibus novis libris edendis et in recitatione privata particula praedicta adiciatur.

Ex historia comperimus, longe ante Synodum de ista re disceptatum fuisse. Aliqui Polono-Latini et latinizantes scandalum patiebantur, quod Ucraini aequo ac Schismatici modo symbolum proferebat.⁴ Pri-

¹ *Acta et decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae habitae Leopoli an. 1891*, Romae 1896, p. 3.

² Primum Gregorius XIII formulam professionis fidei ab Orientalibus emittendae composuit, deinde Urbanus VIII-us eam ampliavit. Ambae typis Congregationis de Prop. Fide prodierunt, prima quidem anno 1623, altera anno 1642. Cf. Benedicti XIV-i Const. « *Allatae sunt* » (die 25 Martii 1755), par. 17, apud *Ius Pontificium de Prop. Fide*, III, p. 603; I, 227-232.

³ *Fontes Codicis Iur. Can.*, I, nr. 108.

⁴ Ita famosus ille C. SAKOVIČ, in ritu orientali natus, postea ad latinum trans-

mus qui symbolum cum « Filioque » subscripsit, Metropolita Antonius Sielawa (1641-1655) fuit.⁵ Deinde eius secessor, Gabriel Kolenda (1655-1674), suo Vicario Generali, Jacobo Suša, commisit, ut in ecclesiis omnibus « Filioque » recitaretur.⁶ In Synodo dioecesana Premisliensi an. 1693 pariter decisum fuit, ut particula illa pronuntiaretur,⁷ quod et in duabus aliis neoconversis dioecesibus, scil. Leopoliensi et Luceoriensi ipso earum ad Ecclesiam Catholicam accessionis momento obtinuit.⁸

Quapropter Synodus in praesenti negotio nihil innovat, sed potius innovationem vigentem sancit.

gressus et ritus orientalis calumniator factus, in suo opere *Epanorthosis sive Perspektywa*, Cracoviae 1642. Cf. Prologum.

Idem opus polemicum cum nostra Synodo relationem directam habet. Anno enim 1717 praecipua eius capita, reticito auctoris nomine, iterum sub titulo « *Praxis indebita circa Sacramentorum Administrationem, ac varias ecclesiae caerimonias, a quibusdam Ritus Graeci Episcopis ac Presbyteris nonnullis in locis cum gravi Christifidelium scandalo observari solita* » reedita sunt. Manuscriptum istius « *Praxeos indebitae* » ...Canonicus ecclesiae Zamostianae polonicae Andzielowicz Romam ad Procuratorem Generalem Theatinorum, Patrem Jos. Redanaschi, anno 1719 (mense Maii) detulit, qui Praefecto S. Congregationis de Prop. Fide et mandante eo, Congregationi S. Officii eam consignavit. Tituli opellae inscriptiones ferebant: « absurda et superstitiones Graecorum in Sacramento baptismi » et ita porro de ceteris Sacramentis. Ut aliquid afferamus auctori mira abusivae videbatur, quod plures sacerdotes Missam concelebrabant, quod purificatio calicis non in altari, ubi species consecratae erant, sed in alio, protheseos dicto, peragebatur, quod lancea in hostia scindenda adhibebatur, etc...

At ibi etiam asserebatur, quod Ucraini Sacrum nocte obibant, quod cerevisiam post Missam cum pane benedicto populo distribuiebant, quod ianuis clausis confessiones excipiebant, etc... (Quod amplius sub fine manuscripti aliqui Canonici latini Premislienses sua nomina apposuerunt, testantes omnia eius asserta veritati responderere).

Tunc S. Congregatio de Prop. Fide, re in coetu particulari die 28 Februarii an. 1720 perpensa, copiam libelli Nuntio transmisit, ut de veridicitate uniuscuiusque puncti percunctaretur. Iste. Patrem Trombetti Varsaviam in auxilium adscito, notavit, quod « absurditates rituales nonnisi praxim orientalem a latina diversam, a Jacobo Goario in suo Euchologio Graecorum » (an. 1647) decriptam, ceteroquin in ipsa Urbe in Collegio Graeco observatam, constituebant, aliae vero assertiones maxima ex parte falsitate laborabant.

Deinde ipse Pater Trombetti, Leopolim reversus, denuo omnibus cribratis ad singula puncta notas S. Congregationi de Prop. Fide misit. Serius autem, forsan a P. Polycarpo Phylpovyč, cui item praefata opella informationis causa tradita fuit, edoctus ad Congregationem scripsit, quod eius auctor octoginta ante annos vixit eique tunc sufficienter responsum fuerat. Cf. Manuscriptum *Praxis indebitae* in *Arch...*, vol. 64, et responsa Patris Trombetti in vol. 4-o. Integrum opus Cassiani Sakovič latine versum invenitur inter *Miscellanea S. Congr. de Prop. Fide*, vol. 3-um.

⁵ Cf. *Viestnik Jugo-Zapadnoj Rossiji*, october 1865, p. 25.

⁶ J. O. KRAČKOVSKIJ. *Očerki unijatskoj tserkvi, in Čtenija v imperatorskom obščestvie istoriji...*, Moskva 1871, lib. 2, p. 167.

⁷ Ep. Hr. LAKOTA, *Try synody peremyski i eparchijalni postanovy valavski v 17-19 st.* Peremyšl 1939, p. 21.

⁸ *Arch...*, vol. 3. ff. 193-194.

3. - « Ad demonstrandam sinceram membrorum cum Capite coniunctionem » Synodus praecipit, ut in divina Liturgia et ceteris officiis, sub poena arbitrio Ordinarii infligenda, Romanus Pontifex commemoretur.

In Missalibus, excepto illo Metropolitae Cypriani Zochovskyj an. 1692 edito, nomina Patriarcharum Orientalium impressa erant, quamvis non amplius elata voce recordarentur.⁹

Textus igitur liturgicos correctione indiguisse planum est. Revera Synodus novam eorundem editionem promittit. Praeterea notare iuvat, quod plus quam per dimidium saeculum post unionem cum Ecclesia Catholica in Metropolia Kijoviensi modus commemorationis Romani Pontificis in Oriente consuetus observabatur, scil. solus Metropolita nomen Pontificis regnantis in translatione oblatorum decantabat, clerus vero pro suo quisque Episcopo eodem in loco orabat.¹⁰

Cum hanc ob causam catholici ucraini de schismate a laicis-polonis suspicari non cessarent, Episcopus Chelmensis Jacobus Suša in Congregatione Basilianorum (XIV-a) an. 1661 proposuit, ut vetus mos Ecclesiae Graecae Romanum Pontificem in omnibus ecclesiis commemorandi in Metropolia restitueretur.¹¹ Revera ab illo tempore ubique novus usus obtinuit Synodusque eum approbavit et obligatorium reddidit.

4. - De eadem fidei puritate sollicita statuit Synodus, ne quis sive suscipiendorum Sacramentorum sive devotionis causa ad ecclesias et sacerdotes extraneos (orthodoxos-separatos) sub poena contra suspectos de haeresi accedat.

Praescriptum ante oculos habet factum, quod simplex populus aliquando sanctuaria orthodoxorum-separatorum celebriora visitabat. « Multi enim sunt - legitur in documento contemporaneo - qui devotionis causa Kioviam tendunt, ubi schismatica sedes et schola triumphat et de facili subvertuntur ».¹²

5. - Successive decreto Synodali anathematizatur damnaturque haeresis Philippi, quae, uti innuimus, Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, Ordinis respuebat.¹³

6. - Vestigiis Concilii Tridentini inhaerens, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae lectionem et retentionem librorum ad

⁹ Ibid.

¹⁰ Cf. SAKOVIČ, *loc. c.*; Ad rem JAC. GOAR: « In sacrificio Missae fit mentio a Graecis hoc ordine: Presbyter supplicat pro suo Episcopo, hic pro suo Archiepiscopo et Metropolita, is vero pro Patriarcha. Inferiores itaque Superiorum agunt in precibus memoriam; quamvis supremum omnium Pontificem nullibi publice de nomine celebrent ». (*Euchologium Graecorum*, Venetiis 1730, p. 124).

¹¹ M. KOJALOVIČ, *Istorija Bazilijanskogo Ordena*, in *Christianskoje Ctenije*, 44 (1864), I, 445.

¹² *Arch.*, vol. 64, f. 394.

¹³ Cf. supra p. 9-10.

exorcismos, philtra, superstitiones et magiam spectantium Synodus prohibet.

Notandum, quod Synodus Leopoliensis pariter fideles « ab illis cantionibus sive exercendis sive consulendis, quae veniunt sub nomine magnetismi, spiritismi, sortilegii et magiae » (tit. 1, cap. 6, nr. 7) deterreret, at de excommunicatione tacet. Clare autem a Patribus Leopoliensibus, ad normam Constitutionis Pii IX « *Apostolicae Sedis* » (12 Octobr. 1869 statuitur, quod omnes scienter legentes vel retinentes sine debita licentia libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes praedictam censuram speciali modo S. Pontifici reservatam incurrunr (tit. 1, cap. 5, nr. 2).

Quibus Synodus Leopoliensis rem totam reordinare videtur. Unde quaeri potest, an excommunicatio pro lectione librorum superstitionis, magicorum, obscaenorum a Zamostiana statuta adhuc urgeat. Verum est, Synodum Leopoliensem, uti initio diximus, omnia de fide a Zamostiana decisa retinere, sed hoc ad doctrinam ipsam, non vero ad censuras, cum in odiosis versemur, referendum est. Proinde Synodus Leopoliensis in memoratis casibus Zamostianae derogare videtur. At ulterius cum in sequentibus Synodum Zamostianam in forma specifica approbatam fuisse demonstrabimus, derogatio ista non sustinetur in se potiusque hodie eadem censura in provincia Leopoliensi ex capite praescriptionis non tenet.

Deinde pro novis libris liturgicis edendis censuram praevidiam Ordinariorum Synodus Zamostiana requirit et introductionem eorundem a Schismaticis districte vetat. Relate ad Missalia, Ritualia, Pontificalia decernit, ut in futurum omnia editioni a Synodo propositae et a Sancta Sede probandae conformia existant, secus ab Ordinariis imprimi non debent.

In ipsa Synodo duo Patres Basiliani, scil. Jacobus Solikowskyj et Polycarpus Phylypovyč ad revisionem veterum editionum electi fuerunt.¹⁴ Tamen editio librorum liturgicorum typica, unica usque ad nostros dies desiderabatur. Unusquisque fere Episcopus vel monasteria principaliora suo modo libros praedictos imprimebant. Correctiones vero solummodo expunctionem nominum Patriarcharum Orientalium e textibus, additionem « Filioque » in symbolo et nominis Romani Pontificis in divinis officiis, ceterasque mutationes a Synodo sanctitas et suo loco referendas, respiciebant.

Prima editio Missalis post Synodum, a Metropolita Leone Kiška anno 1727 in monasterio Suprasliensi praeparata, anno 1733 prodiiit, deinde secutae sunt aliae: Počajoviae 1755, Supraslii 1758, 1763, Leo-

¹⁴ *Ach...*, loc. c., f. 423. Contentione inter Episcopum Leopoliensem Athanasium Szeptytskyj et confraternitatem stauropegiacam exorta, iterum P. Polycarpus ad revisionem errorum in editionibus Confraternitatis die 6 Julii 1725 deputatus fuit. Extant plurima folia huius laboris in *Arch...*, vol. 5.

poli 1759, Počajoviae 1765, 1778, 1791, Leopoli 1808, Premislae 1840, Leopoli 1842, 1866 et 1905.¹⁵ Similiter et Ritualia diversis in locis et cum diversis modificationibus edebantur.¹⁶

Novissime ad instantiam Episcoporum negotium praeparationis editionis typicae omnium librorum liturgicorum Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali assumpsit. Hucusque plurimi iam textus et praesertim Liturgiarum et Evangeliorum apparuerunt, ceteri sub prelo inveniuntur.

7. - Synodus studio et curae Metropolitanae commisit, ut duos catechismos, unum pro populo, alterum pro parochorum instructione ederet. Ad scopum intentum assequendum speciales examinatores quater in anno de catechismi huius lectione parochos interrogare debebant.

Quam providens dispositio ista fuit tunc tantum intelligere poterimus, si attendimus quod ad sacerdotium, Seminariis deficientibus, simplices cantores ecclesiastici tunc temporis promovebantur. Evidenter, cessante fine (instructio ignorantis cleri), cessavit lex de examinibus subeundis.

8. - Praeterea Synodus parochos obligavit, ut singulis diebus dominicis populum ex catechismo docerent et hoc sub poena decem florenorum ecclesiae applicanda et in casu quo muneri suo tribus ab admonitione Episcopi mensibus defuerint, suspendendi erant.

A Synodo Leopoliensi obligatio ista pressius determinatur: quilibet parochus tenetur sub gravi unoquoque die Dominico et festo, statim post officium Vesperarum, et in ecclesiis filialibus mox post illam functionem, quam in ea absolverit, rudimenta doctrinae christianae tradere et tractare (tit. 1, cap. 8, nr. 1).

Art. 2. — Normae in administratione Sacramentorum servandae (Tit. III).

Normae generales.

Synodus monet parochos, ut penes ecclesias resideant, Sacramenta administrantes intentionem quam Christus iubet et Ecclesia facit eliciant, in habitu vero et gestis modestiam, gravitatem, sobrietatem, nitorem in vestibus et vasis sacris conservent.

¹⁵ J. BOCIAN, *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrysostomi apud Ruthenos subintroducitis*, in *Chrysostomica*, Roma 1908, p. 949; A. RAES, S. J., *Le Liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest*, in *Orientalia Chr. Period.*, VIII (1942), p. 95-143.

¹⁶ Cf. A. RAES, S. J., *Le Rituel Ruthène depuis l'Union de Brest*, in *Orientalia Chr. Period.*, I (1935), p. 361-392; A. CHOJNATSKIJ, *Zapadnorusskije unijatskije trebnikj sravnitelno s trebnikami pravoslavnyjm i latinskimi* in *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji* 1867, I, p. 137-179, II, p. 217-252, III, p. 88-126.

Quod si in statu peccati mortalis eisdem unquam inveniri contingeret, ne prius fidelibus Sacramenta administrent iubet, quam cum Deo per confessionem vel, si copia confessarii defuerit, per contritionis actum reconciliati fuerint.

Formam Sacramentorum devote et distincte eodem, quo materia adhibetur momento, ut proferant nec in alterutram mutare audeant vel dubia utantur inculcat. Ad quod facilius assequendum, ut omnes animarum pastores unum idemque Rituale, a Metropolitana curandum, prae oculis habeant Synodus decernit. Tamen editio typica unica, uti adnotavimus supra, nunquam prodiit.

Ceterum simile negotium pro Graecis ab Urbano VIII-o inchoatum nonnisi post unius saeculi discussiones sub Benedicto XIV ad effectum deductum fuit. Instituit enim ille Pontifex, anno 1631 Congregationem Cardinalium ad Euchologium Graecorum corrigendum, sed non obstante quod octoginta duo sessiones ab ipsa habitae fuerunt, ad conclusionem perventum non est.¹ Idem opus Benedictus XIV continuare iussit et tandem anno 1742 Euchologium expectatum Romae impressum fuit.

Prae editionibus catholicis ucrainicis post-zamostianis maiore veneratione aliquorum usum orientalium praestat. Saeculo XVIII-o frequenter apud Ucrainos mores ritus latini invehebantur. Ita ex gr. nonnulli lanceas in praeparatione oblatorum adhibere nolebant, ambobus genibus post consecrationem flectebant, campanulas Missa durante sonabant, benedictiones cum « ostensorio » peragebant, etc. Contra haec et similia fortis reactio medio saeculo illo exorta est. E documentis Archivi Vaticani nobis innotuit, quod in Synodo, quae ab Episcopis anno 1765 praeparabatur, proponi debebat, ut usque ad novam Euchologii pro tota Metropolia Kijoviensi elaborationem Euchologium Benedicti XIV-i adamussim in traductione palaeo-slavica observaretur.²

¹ Cfr. Ep. encycl. Benedicti XIV «*Ex quo primum*» (die 1 Martii 1765), paragr. 2.

² « Note di abusi da riformarsi nel Sinodo e progetti di decreti da stabilirsi... Articolus 4-tus. De Sacramentis tam in genere quam in specie... « Cum ob multiplices et diversas Ritualium editiones introducta sit magna difformitas in administratione Sacramentorum, statuat Sancta Synodus quatenus Rituale Graecorum Jussu S. M. Benedicti XIV Romae editum ab omnibus usurpetur, et ad amussim observetur; antequam autem textu slavonico cum Graeco collatum emendatum typis mandetur, in Synodo Provinciali praesentetur, et revideatur, ipsumque sic revisum originale ab Episcopis subscriptum in Archivio Metropolitanano conservetur »; ARCHIVIO DELLA NUNZIATURA DI VARSAVIA, vol. 99, f. 35. Dolendum tamen quod celebrationem huius Synodi opposito Regis Poloniae imposibilem reddidit. Requirebat enim ipse, ut Synodus vel praesentibus eius Commissariis sessiones teneret vel ut decreta non prius executioni mandarentur, quam ab ipso examinati et probati fuerint. Cfr. A. THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, IV, n. 34, p. 80-85, n. 41, p. 99. Nec Nuntium Apostolicum, in Synodi

De Baptismo.

Puncta declaranda: 1. materia et forma; 2. minister; 3. baptismus dubius; 4. baptismus infantis latini; 5. baptismus in domibus privatis; 6. patrini et cognatio spiritualis; 7. oleum catechumenorum; 8. lingua infantium baptizatorum sanguine Christi non tingenda; 9. liber baptizatorum.

1. — Synodus in memoriam revocat materiam huius Sacramenti aquam puram naturalemque esse, formam autem per verba in decreto Eugenii IV-i probata, scil.: baptizatur servus, vel serva Dei, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sanctis, in Metropolia Kijoviensi exprimi solere.³ Deinde expresse vetat ne post prolationem uniuscuiusque Personae SS.mae Trinitatis vox « Amen » interponatur, « neve quisquam videatur, dum Personas ita distinguit, Trinitatem essentiae admittere ». Quibus ad haeresim Philippi Synodus alludere videtur, qui revera distinctionem naturarum in SS.ma Trinitate asserebat.

Mirum est, triplicem « Amen » in forma baptismi in omnibus Euchologiis orthodoxorum ante Synodum editis occurrere.⁴ Qua de re sub fine saec. XVII Metropolita Cyprianus Zochowskyj eos de arianismo accusabat, quia sicuti Arius, dicebat ipse, in natura divina Patrem a Filio dividebat et in nomine Patris maioris, Filii minoris et Spiritus Sancti minimi baptizabat, ita et orthodoxi-separati per illud trinum « Amen » naturae divinae divisionem docent.⁵ Quamvis in polemicae acstu edicta veritati non responderent, nihilominus cum forma praedicta ambigua esset et falsis interpretationibus praestare se posset, merito Synodus eam eliminavit.

2. — Ministrum ordinarium istius Sacramenti parochum esse, in

Praesidentem designatum, nec Metropolitam huiusmodi conditionibus acquiescere potuisse planum est.

Ad eandem Synodum Cfr. ARCHIVIO DELLA NUNZIATURA DI VARSAVIA, vol. cit. ff. 33-44: « *Compendium ex materiis Synodalibus ad formandas Constitutiones in congregationibus Antesyndodalibus examinatis* », ff. 64-68; « *Diocesis Potocensis... suo Ablegato committit sequentium promotionem in Consultationibus Antesyndodalibus Vladimiriæ celebratis* ». Cfr. de hac Synodo opus S. S. WIWCZARUK, *De Synodo Berestensi an. 1765 non celebrata*, Romae.

³ « Materia huius Sacramenti est aqua vera et naturalis... Forma autem est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Non tamen negamus, quin per illa verba: Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine... verum perficiatur baptismus ». *Decretum pro Armenis*. Cf. D-B, nr. 254-255. Aliquando disputatum est de excellentia formae graecae prae latina et viceversa, quod, uti M. Jugie censet, puerile est. Cfr. M. JUGIE, *Theologia Dogmatica...*, III, p. 81-82.

⁴ Eadem forma cum triplici « Amen » in multis compendiis theologiae et catechismis graecis orthodoxis recentioribus proponitur. Cf. M. JUGIE, *loc. c.*

⁵ CYPRIANUS ZOCHOWSKI, *Colloquium Lubelskie 1680*, p. 63, apud *Čteníja v imperatorskom obščestvie istoriji i drevnostij rossijskich pri Moskovskom Universitetie*, 1871, lib. 2, p. 188-191.

casu autem necessitatis quemlibet laicum Synodus declarat. Ideo animarum pastores Synodus hortatur, ut populum et praesertim obstetrices doceant, quid ad validam at licitam eius administrationem requiritur. Praeterea statuit, ut a ministro extraordinario baptizati, si mortis periculum evaserint, ad ecclesiam caeremoniarum adimplendarum causa deferantur.

3. — Si prudens dubium oritur de infantis baptismo tunc ut sub conditione: « Si est baptizatus servus Dei iterum non baptizetur, et si nondum est baptizatus, baptizetur, etc... », Sacramentum iteretur Synodus praescribit. Idem et de infantis expositi baptismo cavetur.

4. — Pacis conservandae gratia inter utrumque ritum inculcatur parochis, ut, si necessitate impellente vel proprio parochi permittente infantem ritus latini baptizaverint, a collatione Sacramenti confirmationis abstineant. Baptizati autem nomen in proprio baptizatorum libro referre et ad parochum latinum testimonium actus perfecti transmittere tenentur.

Paulo aliter et severius in decreto « Concordia » dicto (6 Octobr. 1863) statuitur. Ibi enim « sacerdotes rutheno-catholici », qui infanti latino ob periculum eius mortis aut hiemis inclementiam, locorum distantiam vel itineris difficultatem baptismum administraverint, « sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, salvo aliis poenis arbitrio Episcopi infligendis », confirmationem conferre vetantur. Praeterea, ut actus baptismi in necessitate vel gravi difficultate collati in libro separato pro baptismo prolium alterius ritus inscribatur statuitur.⁶

5. — Baptisma in ecclesia parochiali conferendum esse Synodus praecipit, nisi aëris inclementia vel periculum vitae infantis, ut sacerdos in domo privata illud administret, exigat.

Pro eadem circumstantia Synodus Leopoliensis disponit servandam esse consuetudinem, iuxta quam infans baptizandus in domum parochialem deferri solet (tit. 2. cap. 1, nr. 1).

6. — Conformiter Concilio Tridentino (Sess. 24. cap. 2: de Reform.), unus patrinus et una matrina fidei catholicae gnari seligendi sunt. Excluduntur a Synodo infideles, haeretici, schismatici, excommunicati, publice criminosi, infames, amentes et impuberes. Parochi populum de cognatione spirituali, quae impedimentum matrimonii dirimens inter suscipientes ex baptismo et confirmatione ac baptizatum, baptizati-que patrem et matrem constituit, docere obligantur.

Quapropter Codice Iuris Canonici publicato, apud Ucrainos disciplina strictior, quam in ipsa Ecclesia Latina obtinet.⁷

⁶ *Acta et decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae...*, Romae 1896, in Appendice p. 258-259.

⁷ Cfr. Can. 768, 1079.

7. — Relinquit Synodus parochis facultatem, quam in Ecclesia Orientali possident, benedicendi oleum catechumenorum, at, sub poenis arbitrio Ordinarii reservatis, monet eos, ne oleum olivarum eis deficiat.⁸

8. — Deinde in sensu Concilii Tridentini tollit consuetudinem, in Euchologiis usque ad illud tempus retentam, tingendi Christi sanguine linguam infantum recenter baptizatorum, « dummodo id sine scandalo fieri possit ». Ratio vero statuti in maiore Eucharistiae veneratione debita reponitur.⁹

9. — In fine, parochi librum baptizatorum, successoribus tradendum, in quo iuxta formulam indicatam nomina baptizatorum, patrini et matrinae rite describerentur, ut habeant iubet.

De Confirmatione.

1. Institutio; 2. minister; 3. materia et forma; 4. chrismatis consecratio; 5. conservatio chrismatis.

1. — Ante omnia divinam huius Sacramenti institutionem et characterem indelebilem, quem in anima imprimit, Synodus profitetur indeque concludit, nefas esse, ut unquam iteretur.

2. — Relate ad eius administrationem agnoscit illud « extraordinario iure, et delegata ab Episcopo facultate, ex Apostolicae Sedis dispensatione statim post baptismum » a sacerdotibus in Ecclesia Orientali conferri.¹⁰

3. — Materiam autem eius in remotam, quae oleo et balsamo constat, et proximam, quae in confirmandi unctione consistit, distinguit. Aromatum fragrantium ad oleum mixtio iuxta morem permittitur,¹¹ at

⁸ Cfr. infra p. 108 sq.

⁹ Cfr. infra p. 103.

¹⁰ Cfr. *Decretum pro Armenis*, D-B nr. 697.

¹¹ Iuxta testimonium Metropolitae Leonis Kiška, in chrismate ab Episcopis parato quadraginta quatuor partes « ingredientes » erant; Cf. *Arch...*, vol. 602, f. 331.

In codice Barberino, ante annum 797 exarato, enumerantur tredecim species idem sacrum componentes chrisma, in Euchologio graeco Goarii (Ventiis 1730, p. 508-509) triginta novem, in Euchologiis pariter Graecis saeculi XIX-i triginta octo. Demum in officio consecrationis sacri unguenti a Constantio I-o, Patriarcha Costantinopolitano, anno 1833 composito, numerus aromatum ad quinquaginta septem ascendit, quorum quadraginta tres una cum oleo coquuntur, cetera vero postea infunduntur.

Initio unusquisque Episcopus, vi canonis 6 Concilii Carthag., ab Orientalibus recepti, pro sua dioecesi chrisma consecrabat, postea vero Patriarcha Constantinopolitanus pro toto Oriente hanc facultatem sibi reservavit. Cfr. M. JUGIE, *op. c.*, III, p. 133.

Episcopi Ucrainae usque ad unionem cum Ecclesia Romana item a praedicto

ne eorum quantitas partem olei cum balsamo excedat simul cavetur.¹²

Successive, ut forma confirmationis verbis « signaculum doni Spiritus Sancti » exprimat, Synodus praescribit hacque occasione Ritualia Leopoli edita, quae contra antiquum morem formam praedictam vocibus « signaculum et donum Spiritus Sancti » substituerunt, reprobant.³¹

4. — Facultas sac. chrisma praeparandi Episcopis hebdomada in Coena Domini reservatur, parochi vero per se ipsos aut per decanos illud accipere, vetere, si quod superfuerit, in mundo lapide combusto tenentur.

5. — Demum, ut idem unguentum decenti loco et in vasculis argenteis vel stanneis, non vero vitreis, testaceis aut cupreis parochi conservent, disponitur.

De SS.ma Eucharistia.

1. Materia et forma; 2. de particulis circa hostiam; 3. infantes usu rationis carentes non communicandi; 4. particulae pro viatico inservientes saepius renovandae; 5. modus deferendi Eucharistiam ad infirmos; 6. de vasis sacris; 7. de administratione Eucharistiae peccatoribus.

1. — Declarat Synodus materiam huius Sacramenti in Ecclesia Orientali panem triticeum et vinum de vite esse, formam autem verbis: « Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur », et: « Hic est san-

Patriarcha chrisma recipiebant; Unione autem restituta, secundum quod A. PETRUŠEVYČ assertit, Petrus Arcudius Metropolitae Hypatio Potij caerimonias confectionis eius explicavit. Cfr. A. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja Litopys... 1700-1772 h*, p. 119. Ab isto tempore etiam Hierarchae orthodoxi separati Kioviae chrisma conficere coepisse videtur. Quod privilegium Metropolita orthodoxus Kioviensis post suam Patriarchae Mosquensi definitivam subiectionem (an. 1686) retinuit. Revera iam Synodus Mosquensis anni 1675, ne quis praeter Metropolitas Mosquensem et Kioviensem illud praeparare et distribuere auderet, decrevit.

Traditio fert, alabastrum cum sac. chrismate in Ucrainam tempore conversionis eius ad fidem christianam e Byzantio allatum, deinde a Metropolita Photio (1409-1416) Mosquem translatum fuisse. In signum unionis cum Ecclesia Byzantina chrisma in praefato alabastrum nunquam deficit, pars enim eius in noviter praeparatum infunditur et e converso, noviter consecrato denuo repletur alabastrum. Cf. K. NEKOLSKIJ, *Posobije k izučenju ustava Bogosluzenija Pravoslavnoj Tserkvi*, S. Peterburg 1907, ed. 7-a, p. 609 in nota.

¹² Istam cautionem Benedictus XIV in ep. Encycl. « *Ex quo primum* », par. 52, laudat: « Sapienter etiam et magna cum ratione in Synodo Zamosciae habitata... animadversum fuit a patribus, par. de confirmatione, quidquid herbarum balsamo adiciatur, cavendum esse, ut maxima pars chrismatis semper sit oleum...; Cfr. *Fontes Iuris Can.*, II, nr. 438, p. 509.

³¹ Olim theologi catholici immerito contendebant hanc formam defectuosam esse. MIGNE, *Cursus Theologiae*, t. XXI, p. 884 sq. Benedictus XIV praeclare eam, diversis suffultus testimoniis, vindicat. « Et omissis aliis, qui facile cumulari possent, satis hic erit afferre, quae habetur in Synodo Zamosciae, ubi agitur de sacramento confirmationis »; Cfr. « *Ex quo primum* », par. 54.

guis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et multis in remissionem peccatorum effunditur » contineri.¹⁴

Quapropter sub gravibus poenis suspensionis a divinis, amotionis a beneficio aliisque pro Ordinarii arbitrio, urget, ne quid in ista re mutare sacerdotes audeat. Supra enim retulimus nonnullos ignorantes aestate, vino deficiente, in aceto consecrare posse censebant. Imo, Synodus parochis consilium practicum tradit, ne panem apud Hebraeos emanant, quia isti tritico aliud aliquid miscere solent.

2. — Deinde decernit, ne particulae, quae circa hostiam magnam in honorem Deiparae et Sanctorum in disco ponuntur, a sacerdote consecrari praetermittantur.

Ad istud decretum adnotare iuvat, quod apud Orientales usque ad saeculum XVIII-um particulae illae non consecrabantur, at nihilominus iam ante fidelium communionem in calicem immitebantur. Temporibus recentioribus eas nonnisi post communionem sanguini Christi uniendi mos invaluit, ne celebrans periculo exponeretur dandi fidelibus loco Corporis Christi simplicem panem benedictum.¹⁵

3. — Similiter et aliam consuetudinem, scil. admittendi pueros, rationis usu expertes, ad sacram communionem tollit, ob periculum, ut dicit, irreverentiae Sacrameni. Prudentiam tamen parochis suadet, ne ex abolitione scandalum sequatur.¹⁶

4. — Ex ordine sublatum esse omnino vult usum, tunc in aliquibus Metropoliis partibus vigentem, consecrandi maiorem hostiam in Coena Domini eamque Sanguine Christi imbuendi et conservandi per totum annum, ut infirmis distribuatur. E contra, statuit, ut particulae pro infirmis singulis octo vel quindecim diebus renoventur. Hostia illa super disco exsiccata et in pulverem redacta in pyxide asservabatur.¹⁷ Quae

¹⁴ D-B, nr. 698.

¹⁵ M. JUGIE, *op. c.*, III, p. 223; K. NIKOLSKIJ, *op. c.*, p. 446-447.

¹⁶ In isto decreto Synodus Maronitas praedecessores habet. Hi, sub Patriarcha Sergio, anno 1596 in Synodo usum Eucharistiae pueris vetarunt, quod in alio Synodo, Libanensi (an. 1736), renovarunt. Benedictus XIV-us eandem prohibitionem ad Italo-Albanenses in Const. « *Etsi Pastoralis* » (die 26 Maii 1742) par. 2, extendit. Cfr. BENEDICTI XIV, « *Allatae sunt* », par. 24 (26 Iulii 1755); *Fontes Cod. Iuris Can.*, II, nr. 434; I, nr. 328.

¹⁷ Duo Pontifices, Clemens VIII-us per Instr. « *Sanctissimus* » (31 Aug. 1595) et Benedictus XIV per Const. « *Etsi Pastoralis* », par. nr. 3, istam consuetudinem Italo-Albanensibus prohibuerunt. Cfr. *Fontes Cod. Iuris Can.*, I, nr. 179, 328. Iam prius Petrus Acusius in, *Tractatus de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*, lib. 5, cap. 55 et 56, contra ritum istum pugnabat. Ei argute Jacobus Goar respondit: « ...errat tamen Arcudius ...nec enim furni vel solis ardore, sed vivo acerrae sacratae ...sacro disco subiectae igne, cui species panis sanguine tincti religiose sunt impositae, cunctum humorem exprimunt; hacque eadem diligentia species panis bene cocti, et ut ipse fatetur Arcudius, diutius duraturi, per annum integrum aegrotis asservatas a corruptione custodiunt immunes.

consuetudo ab ipso Metropolita orthodoxo Petro Mohyla in suo *Euchologio* longe ante Synodum nostram reprobabatur.¹⁸

5. — Porro, relate ad delationem Eucharistiae infirmis, sequentia disponit: Si morbo affectus in loco ad ecclesiam vicino decumbit, sacerdos, vestibus sacris indutus, et ceris accensis ad eum pergat. E contra, si valde distat, tunc Sanctissimo in vasculo argenteo vel stanneo incluso, secrete hoc faciat.

Synodus Leopoliensis ultimam dispositionem ita immutandam ducit, ut nempe « sacerdos deferens... publice id praestat et saltem communi et ordinario indutus... Epitrachelio (stola) et Phelonio, quoniam - loquitur Synodus - talis consuetudo apud nos invaluit » (tit. 2, cap. 3, nr. 2). Derogationem ex capite consuetudinis contrariae sustineri patet.

6. — Insuper vult Synodus, ut cochlearia quibus Eucharistia fidelibus ministratur et pyxides argenteae vel stanneae sint, haec enim in pluribus locis hucusque lignae erant.¹⁹

7. — Ultimo parochi haereticos, schismaticos, excommunicatos, interdictos publicosque peccatores ad Sacram Synaxim admittere prohibentur. At minime illos indignos arcendos esse dicit, quorum peccata occulta remanent, ob periculum scandali vel infamiae.

De celebratione Missarum.

1. Ne in azymis sacerdotes consecrent neve species consecratas ad latinam ecclesiam mittant; 2. celebratio in domibus privatis; 3. « Prothesis » per celebrantem principalem, vestibus indutum, dicenda; 4. vestes nitidae; 5. tres mappae sint in altari et corporale; 6. spongiarum usus aboleatur; 7. aquae tepidae affusio abrogatur; 8. genuflexiones in magno ingressu vitandae; 9. clerici ad celebrandum sine litteris commendatitiis non admittendi; 10. ieiunium a media nocte praescribitur; 11. pro unoquoque stipendio Missa celebranda; 12. Missa ante meridiem.

Plura quae reformanda erant per istam paragraphum reformantur, sed et aliquae innovationes hic inde vigentes vim normae generalis pro Metropolia Kijoviensi obtinent.

1. — Affermat et credit Synodus cum super azymo tum super fermentato pane Sacramentum Eucharistiae legitime confici posse, tamen merito observatiam proprii ritus urget et sub poenis, a Pio IV-o pro ritu latino statutis (cap. 10, de celebr. Miss. const. 12), scil. officii vel beneficii privatione sacerdotibus, ne super azymo consecrare audeant, prohibet.

Pariter praxim ab aliquibus inductam, scil. particulas consecratas

At vero deinceps cum infirmo in exitus hora viatico Eucharistiae muniendo particulam assumunt, vino communi respergunt... » (*Euchologium Graecorum*, ed. Parisiis 1647, p. 265).

¹⁸ PETR. MOHYLA, *Euchologion albo Molitvoslov ili Trebnik*, Kyjiv 1646, p. 262-265.

¹⁹ Cfr. *Arch...*, vol. 64, f. 199-200.

in ecclesiam latini ritus mittendi, ut ibi a sacerdote latino in calicem consecratum intingantur et fidelibus ritus orientalis distribuatur iure proscribit. Iste singularis usus praesertim in Lithuania tunc obtinuit.

2. — Deinde celebrationem in aedibus privatis sine licentia proprii Ordinarii, gravi de causa concedenda, ad normam canonis 581 Synodi Laodiceni et Concilii Tridentini (sess. 22, Decret. de observ. et evit. in celebr. Miss.) sub poena suspensionis a divinis inhibet.

3. — Similiter abusum vel negligentiam illorum reprobatur, qui vel permittebant ut inserviens ad Missam commixtionem aquae cum vino perageret vel « Prothesin seu Proskomidiam » sine sacris vestibus recitabant.²⁰

4. — In Sacro agendo commendat Synodus presbyteris nitorem cum modestia in vestibus et in altari servandum.

5. — Mappae, ut sint triplices, ex lino iuxta ritum, in altari et quae corruptae fuerint, ad usum profanum non convertendae, sed comburendae a sacerdotibus, statuit. Inter mappas autem antimensalé (=petra) et supra eas corporale ponendum esse dicit.

Haec omnia ornamenta sacerdotes intra duos a publicatione Synodi menses sub poena quinquaginta florenorum, in emptionem istorum applicandorum, parare debebant. Notandum tamen, corporale e ritu latino a Basilianis Lithuaniae mutuatum fuisse.

6. — Successive usum spongiarum ad patenae abstersionem, in dioecibus neoconversis (Leopol., Lecer.) adhuc vigentem, prohibet sub praetextu, « ne spongiis in his regionibus non bene, ut alibi solet praeparatis, aliquid adhaereat ex pane consecrato ac Sanctissimum Christi Corpus periculo irreverentiae exponatur ». Loco autem earum sacerdotes digito, uti latini, patenam abstergere iubentur.

Lucta contra istam consuetudinem praecipue sub Metropolita Cypriano Zochovskyj (1674-1693) exarduit. Ipse enim vehementer abolitionem eius desiderabat. En aliqua ius verba: « Veniam apud Te, Deus meus, posco, quod Graeci ad abstergendum calicem, in quo tuum Corpus sanctum et pretiosissimus Sanguis prasens fuit, spongiam adhibent, quasi ad equos aut quamcumque vestem tergendam ».²¹

Non mirum igitur quod in Missali a se curato (an. 1692) spongiarum

²⁰ « *Memoriale proponendorum in... Synodo...* » Sacerdos celebraturus Sacrum dum actu celebrat non infundit aquam in Calicem, quia haec infusio prius facta est a Sacristano, sive saeculari sive ecclesiastico, qui solet praeparare pro Sacro, ex quo sequitur, quod aliquando Sacrista obliviscitur infundere, aliquando oblitus quod infuderit, iterum infundit. Aliquando cum vinum sat debile sit, potest aquae quantitas superare vini quantitatem »; *Arch...*, vol. 64, f. 201.

²¹ CYPRIANUS ZOCHOWSKI, *Colloquium Lubelskie*, Zamość 1680, p. 28; apud *Ctenija v imperatorskom obščestvie istoriji i drevnostij...* 1871, lib. 2, p. 191.

mentionem omisit. Synodus autem huic abrogationi sanctionem legis praestitit.²²

7. — Aeque modo alium ritum scil. affusionem aquae calidae in calicem post consecrationem «gravem ob causam» Synodus tollit. E manuali theologiae moralis anno 1779 Počajoviae tertio edito praedictam gravem causam, a Synodo non determinatam, scandalum latino-polonorum fuisse constat.²³

Ceterum, idem ritus in dioecibus antiquitus unitis, uti studium Missalium manuscriptorum ostendit, iam initio saeculi XVII omitti consuevit.²⁴

8. — Sub prohibitionum Synodali serie adhuc haec venit: cum nempe durante magno ingressu, quando dona nondum consecrata e parvo altari seu «protheseos» in principale transferuntur, populus prostrationes in terram facere soleret, Synodus, et iure quidem, ob idololatriae periculum easdem omittendas praecipit sacerdotesque ad populo rationes opportune explicandas obligat.²⁵

²² J. BOCIAN, *op. c.*, in *Chrystomica*, Roma 1908, p. 964.

²³ Cfr. ODINTSOV, *De unitorum re divina* (deest in bibliothecis Romae), p. 37 apud J. BOCIAN, *op. c.* in *Chrystomica*, p. 962

Medio aevo inter scriptores latinos acerrimus huius ritus inimicus Card. Humbertus a Sylva Candida fuit. P. G., CLV, col. 987. Dein saepe in ista quaestione auctoritas S. Thomae invocabatur, qui in *Summa Theol.*, III, q. LXXXIII, art. 6 ad 4-um, haec profert: «Nullo modo debet aqua vino iam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte». Aetate recentiori e catholicis P. ARCUDIUS in «*Tractatus de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*», lib. III, cap. XXXIX, caerimoniam praefatam Graecis vindicat, dicens, quod praesentiae reali minime officit, dummodo in minima quantitate aqua infundatur

Postea, occasione editionis Romanae Euchologii Graeci (an. 1752), multum disceptatum fuit de opportunitate vel minus eius suppressionis. At S. Pontifex, qui tunc fuit celeberrimus rerum orientalium cultor, Benedictus XIV, de re interrogatus, respondit (die 1 Maii 1746): «Nihil esse innovandum», quamvis notum ei optime esset a Synodo Zamostiana istum perantiquum morem sublaturum fuisse. En quae in ep. Encycl. «*Allatae sunt*», par. 26, scribit: «Attamen Patres Concilii, coacti in urbe Zamosciae anno 1720, graves ob causas, inhibuerunt Ruthenis sacerdotibus, ne aquam tepidam, post Consecrationem, in calicem funderent, uti legi potest par. 4: de celebratione Missarum...». Cfr. *Fontes Cod. Iuris Can.* II, nr. 434, p. 465.

²⁴ *IBID.*

²⁵ Quod decretum Benedictus XIV-us in epist. Encycl. «*Ex quo primum*» (die 1 Martii 1756), postquam de illa consuetudine demisse se inclinandi durante magno ingressu sive in Russia sive in Graecia locutus fuerit, ita commendat: «Itaque Patres Concilii Zamosciae habiti..., non dubitarunt interdicere ne qua fiat genuflexio aut capitis inclinatio, dum panis vinumque nondum consecrata a parvo altari ad maiorem transferuntur». Et hic integrum decreti textum affert. Deinde continuat: «Illud enim Patres fortasse prae oculis habuerunt, quod in sacro textu refertur lib. 4 Regum, cap. 18, de Ezechia Rege Iuda, qui serpentem aëneum a Moyse conflatum fregit, propterea quod Filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant»; Cfr. *Fontes Cod. Iuris Can.*, II, nr. 438, p. 498.

Originem illorum impropriorum reverentiae signorum a Liturgia Praesanctificatorum, quae saepius in Quadragesima tunc celebrabatur, iam Arcudius repetendam esse perspexit. « Itaque populus, ignorans discrimen huius et illius liturgiae - ita ipse, - similiter se gerit in ordinariis et praesanctificatis. Quocirca et graviter errat, quippe in praesanctificatis verum Corpus sacerdos in patena defert, meritoque populus humi procumbit atque adorat; in aliis vero sacrificiis dum haec oblatio fit ante consecrationem, longius se gerat oportet ».²⁶

9. — Ne indigni pastores, e suis parocciis aufugientes et in alienis Sacra obeuntes, disciplinam enervant, ad mentem Concilii Tridentini (Sess. 2, de observ. et orat. in celebr. Miss., item Conc. Laod. can. 14, Chalc. can. 13) praescribitur, nullum sacerdotem, saecularem vel regularem in aliena dioecesi sine litteris commendatitiis, eo saltem anno concessis, ad Sacramentorum administrationem admitti posse. Ordinariis vero inobedientes suspensione ad tres menses puniendi facultas conceditur.

10. — Celebrantes autem Missam memores vult Synodus, se rubricas exacte servare et a media nocte sub gravi ieiunos esse debere.

11. — Si stipendia, quae voluntaria a Synodo supponuntur, eis nimis exigua offerantur fideles, ad ea augenda monendi sunt, secus pro unoquoque, etsi vilissimo stipendio, Missam applicare tenentur.

Synodus Leopoliensis cavet et pro concelebrationis casu: quamvis nempe unusquisque concelebrantium suam intensionem habere et applicare debeat, nihilominus vult Synodus, ut pro aliquo stipendio speciatim sibi oblato alia die in Missa particulari applicationem faciat, eo quod, communiter loquendo, talis apparet esse intentio dantis, nisi ipse in id consenserit (tit. 4, cap. 2, nr. 2).

Notandum, quod iuxta eandem Synodum, quando plures simul Missam celebrant, sacerdotes concelebrantes verba consecrationis, voce quidem submissa, proferre et preces secretas (non illas igitur, quae elata voce decantantur) una cum celebrante principali recitare tenentur (tit. 4, cap. 1, nr. 11). Quae normae ab eis, a Benedicto XIV datis, paulo differunt.

In epistula enim Encyclica « *Demandatam* » (24 Decembr. 1743) ad Melchitas concelebrationem plurium sacerdotum, ubi haec consuetudo viget, pontifex permittit, ita tamen, ut unusquisque concelebrantium totam Liturgiam integre recitet et verba consecrationis proferat, pe-

Exemplo nostrae Synodi edocta Congregatio Cardinalium super correctione Euchologii Graeci, die 5 Septembris 1745, Episcopos graecos aliosque animarum pastores pariter monuit, ne dona transferenda, quia non consecrata, inclinationibus profundis populo adorare permitterent; *IBID.*, p. 501-502.

²⁶ P. ARCUDIUS. *De concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*, lib. 3, cap. 19. Ceterum iam in Euchologio Mohylae haec erronea praxis carpitur et aedem obligatio rite populum edocendi imponitur; Cfr. TREBNIK..., p. 269.

rinde ac si singulatim Sacrificium conficerent. Deinde prosequitur, par. 10: «Huiusmodi autem Sacrificium singuli Sacerdotes iuxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valent applicare».²⁷

12. — Missa paroecialis, hora determinata et stabili, ut celebretur et ante meridiem inchoetur Synodus decernit, exceptis vigilliis Nativitatis Christi et Epiphaniae, die Jovis et Sabbati hebdomadae maioris, quibus, secundum ritum, Missa cum Vesperis post meridiem celebrari valet.

De Poenitentia.

1. Materia et forma; 2. ieiunium triduanum ante confessionem abrogatur; 3. confessio annua fidelium sub excommunicatione; 4. casus sacerdotis in statu peccati mortalis existentis Missam celebraturi; 5. poenae contra laesionem sigilli sacramentalis; 6. confessio simultanea plurium vetatur; 7. approbatio ad confessiones; 8. casus reservati.

In disciplina istius Sacramenti tradenda Synodus duobus Conciliis, scil. Tridentino et Florentino potissimum insistit.²⁸

1. — Proinde materiam conformiter eis in actibus poenitentis reponit, quos iterum in tres partes, contritionem nempe de peccatis commissis, confessionem et satisfactionem distinguit.

Ad formae essentiam verba: «ego te absolvo a peccatis tuis», pertinere, cetera vero, quae praemittuntur vel subsequuntur, etsi non necessaria, tamen retinenda esse declarat (Trid., Sess. 14, cap. 3: de Poenit.).

2. — Magna autem cum prudentia nimium canonum poenitentiarum rigorem mitigat. Praescribebant enim illi ieiunium trium dierum ante confessionem et poenitentias onerosissimas, per quas populus a frequenti huius Sacramenti usu abstinebat. Synodus huic statui occurrere volens, declarat ieiunium praedictum, quamvis laudabile, non vero necessarium esse; relate autem ad poenitentias, in veteribus nomocanonibus pro publicis tunc peccatis statutas, haud expedire dicit ut hodie sequantur. Ideo ad normam Tridentini (Sess. 14, cap. 8: de Sacram. Poenit.) confessoriorum prudentiae relinquit determinare, quid pro peccatorum ratione et personarum qualitate conveniat.

En exempli gratia aliquae satisfactiones ex Euchologio Petri Mohylae, a quo alia Euchologia plurimum dependebant: fames, sitis, per unum vel alterum diem, catenas ferreas imponere sibi, ad terram prostrationes, vigiliae ad mediam noctem, etc..²⁹

3. — E contra, antiquam orientalem consuetudinem, apud Goar re-

²⁷ *Fontes Cod. Iuris Can.*, I, nr. 338, par. 9 et 10, p. 799.

²⁸ *Decretum pro Armenis*, D-B, nr. 699.

²⁹ *Euchologion albo Molitvostov ili Trebnik*, Kyjiv 1646, pag. 254.

latam, ter in anno confitendi, Synodus approbat et commendat. Confessionem tamen paschalem unusquisque fidelis sub excommunicatione facere tenetur.³⁰ Presbyteros autem monet, ut frequentius confitendo exemplo sint aliis.

4. — Conscientiam peccato gravi oneratam habentibus, non nisi necessitate urgente et si confessarii copia defuerit, celebratio sacrificii Eucharistici permittitur, sed ad mentem Tridentini (sess. 13, de Euchar. c. 7), ut quamprimum confiteantur praescribitur.

5. — In confessionis actu revelata sub secreto sancte servanda esse inculcatur, reos autem laesionis sigilli, conformiter Concilio Later. IV-o, depositione ab officio et perpetua relegatione in monasterio puniendos esse statuitur.

6. — Supra de abusu plurium puerorum confessionem simultanee excipere diximus.³¹ Synodus, ob periculum violationis sigilli et famae proximi, eundem tollendum decernit.

7. — Dein sacerdotibus, regularibus non exclusis, qui officio parochi provisi non sint, confessiones sine Episcopi approbatione, sub excommunicatione, ipso facto incurrenda, excipere prohibet.

Vi istius decreti neque Superiores exempti confessarium pro suis subditis approbare valent. Rationem tantae rigiditatis e documentis usque nunc cognitis explicare non audemus. Certum unum habetur, Episcopos exemptionem aegre tulisse.

8. — In fine, duo de casibus reservatis cavet: ne Ordinarii eos nimis multiplicent et ut confessarii elenchum omnium casuum S. Pontifici reservatorum apud se habeant. Quos vero casus Ordinarii sibi reservare voluerint, ut singulis annis promulgent statuit.

Monitum primum revera opportunum erat. En ad exemplum casus ab Ordinario Premisliensi in Synodo dioecesana an. 1693 reservati: haeresis, apostasia a fide vel ab Ordine, homicidium voluntarium publicum, percussio sacerdotis vel parentum, conatus homicidii matrimonio durante, incantationes, divinatio, abusus S. Scripturae, abortus, limitatio procreationis, raptus, matrimonium post votum castitatis contractum, fornicatio cum consanguineis, coitus contra naturam, periurium vel falsum testimonium in iudicio, bestemmia contra Deum vel Sanctos, incendium domus alienae et usurpatio bonorum ecclesiasticorum.³²

Synodus igitur Zamostiana omnes censuras, ab Apostolica Sede latis, ac si Orientales obligarent, recipit. Pariter et Patres Leopolienses

³⁰ JAC. GOAR, *Euchologion sive Rituale Graecorum*, Lutetiae Parisiorum 1647, p. 207.

³¹ Cfr. supra, p. 22-23.

³² EP. H. LAKOTA, *Try Synody peremyski i eparchijalni postanovy palavski v 17-19 st.*, Peremyšl 1939, p. 19.

easdem, et ad normam Constitutionis Pii IX-i « *Apostolicae Sedis* » (12 Octobr. 1869), quae rem ex integro reordinavit, suas faciunt (tit. 2, cap. 4, nr. 4).

Diximus « ac si Orientales obligarent ». Iuxta responsum in Congregatione particulari de Propaganda Fide, die 4 Junii 1631 datum: « Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis pontificiis constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo, in materia dogmatum fidei; secundo, si Papa explicite in suis constitutionibus faciat mentionem et disponet de praedictis; tertio, si implicite in iisdem constitutionibus de iis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum concilium ». ³³

Quae doctrina post Benedictum XIV, qui eam suis Constitutionibus vulgavit, communis evasit. ³⁴

Conformiter ei, cum post Const. « *Apostolicae Sedis* » dubium ortum fuisset, an Orientales censuris in ipsa contentis tenerentur, Congregatio S. Offici, die 15 Julii 1885, declaravit: ³⁵ « 1° Per Const. Apostolicae Sedis nihil esse innovatum circa censuras earumque reservationes pro fidelibus rituum orientalium. 2° Eisdem fideles subiici omnibus censuris ab Apostolica Sede latis in materia dogmatum et in Constitutionibus, in quibus implicite de iis disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat, eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur.

« Vuole poi la sudd. Congregazione che per mezzo dei Rev.mi Delegati Apostolici siano notificate queste disposizioni a tutti i Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi di rito orientale compresi nella rispettiva loro delegazione, e che si ricordi loro: illos fideles subiici nominatim nedum censuris, sed etiam Apostolicis reservationibus latis in Const. Benedicti XIV « *Sacramentum Poenitentiae* », et in Constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos. »

Unde Orientales in genere, ante Codicem, solummodo censuris ab Apostolica Sede in materia dogmatum latis et in Constitutionibus, in quibus implicite de eis disponebatur, tenebantur.

E contra Ucraini, cum omnes censuras in Synodo recepissent, per illam receptionem iam factae sunt leges eorum propriae. Quod et post Codicem, qui ius Orientalium intactum relinquit (can. 1), valet. ³⁶

At cum per Const. « *Apostolicae Sedis* » tota materia quoad censuras latae sententiae in Ecclesia Latina reordinata esset, quaeri po-

³³ MANSI, t. 50, col. 36.

³⁴ Benedictus XIV, Const. « *Allatae sunt* », par. 44, apud *Fontes Cod. Iur. Can.*, II, nr. 434. Cf. F. HEINER, *Benedicti XIV Papae opera inedita: De ritibus*, Friburgi Br. 1904, cap. 8, par. 5, nr. 35.

³⁵ Cf. Litteras Encyclicas S. Congr. de Prop. Fide, die 6 Aug. 1885; apud *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, nr. 1640.

³⁶ Cf. AE. HERMAN, S. J., *De ritu in Jure Canonico*, in *Orientalia Chistiana Period.*, XXXII (1933), p. 125.

test, an censurae per eam abrogatae seu modificatae aequae apud Ucrainos abrogatae seu modificatae censeri debeant. Negative. Per approbationem enim in forma specifica, uti infra ostendemus, decreta Zamostiana pontificia evaserunt, censurae autem in Const. «*Apostolicae Sedis*» Ucrainos non Pontificis voluntate, sed Synodi auctoritate obligant.

Sed ulterius, quid de Ucrainis extra provinciam Leopoliensem, praesertim de emigrantibus in America censendum? Hi enim cum extra terram originis versentur, legibus mere disciplinariis Synodorum non tenentur. Similiter et censuris Codicis Iuris Canonici, exceptis illis antiquis poenis, quae nunc exprimuntur per canon. 2314, 2317, 2335 etc., non afficiuntur, nisi aliter expresse decretum fuerit.³⁷ Et merito sane, nam distinguendae sunt normae, quae veritates fidei aequae ab omnibus tenendas comprehendunt ex una parte et normae, quae poenas in earum transgressores statuunt ex altera. Hae ultimae mere disciplinares sunt fontemque suae obligationis in lege humana positiva habent. Ideo vi principii in canone primo enunciati Orientales non obligant.

Quae sententia decreto S. Congr. S. Officii, die 21 Julii an. 1934 dato, comprobatur. Per illud nempe sanctione canonum 2320, 2343, par. 1, 2367 et 2369, «*attenta omnino extraordinaria ipsorum delictorum gravitate*» praehabitaque S. Congregationis pro Ecclesia Orientali et Poenitentiarum voto, ad «*Universam Ecclesiam nedum Latinam, sed etiam Orientalem*» extenduntur.³⁸ Iam ipsum documenti nomen, scilicet «*decretum*» et motivum eius («*attenta... delictorum gravitate*») clare indicant, quod illi canones prius Orientales non respiciebant. Si enim solum dubium circa hoc extaret, Congregatio non forma decreti, sed «*Responsi*», «*Resolutionis*» vel «*Declarationis*» usa fuisset. Et ita praefatum decretum non est nisi exceptio ab illa regula, quod Orientales poenis Codicis non adstringuntur.³⁹

³⁷ H. I. CICOGNANI, *Commentarium ad librum I-um C. I. C.*, II, p. 11. Plures auctores ne quidem quaestionem sibi proponunt, an Orientales censuris Codicis afficiuntur. Ita I. SOLE, *De delictis et poenis*, Romae 1920; nr. 104 sq.; A. CIPOLLINI, *De censuris latae sententiae iuxta Codicem iuris canonici*, Taurini 1925, nr. 22 sq. EICHMAN, E., *Das Strafrecht des Codex I. C.*, Paderbon 1920, p. 65 sq. G. MICHELIS, *Normae generales iuris canonici*, Lublini 1929; etc.

Alii, uti F. M. CAPPELLO, S. J., *De censuris*, Romae 1933, nr. 22 et A. VAN HOVE, *De legibus ecclesiasticis*, Mechliniae-Romae 1930, I, nr. 33, censent, quod omnes Codicis censurae, quibus delicta contra fidem puniuntur, Ecclesiam Orientalem respiciunt. CICOGNANI e contra, uti in textu retulimus, tenet, quod Orientales non nisi illis antiquis poenis subiciuntur, quae certis in canonibus, scilicet 2314, 2317 etc. continentur. Huic sententiae adhaerent J. CREUSEN, S. J., *Censures appliquées aux Orientaux*, in *Nouvelle Revue Théologique*, t. 62 (1935), nr. 1, p. 76-80 et L. HLYNKA, *Čy orientaly je zoboviazani karamy opredilenyj v kodeksi prava kanoničného*, in *Bohoslovia*, Leopoli t. XIII (1935), lib. 1, p. 53-56.

³⁸ A. A. S., XXVI (1934), p. 550.

³⁹ In commentario huius decreti in *Apollinaris*, VIII (1935), p. 30, scribit Cl.

De extrema unctione.

1. Institutio; 2. materia remota et proxima; 3. modus administrandi; 4. minister; 5. sanis non administrandum.

Mere solito, et in hac paragrapho, Synodus quae corrigenda erant correxit, alia vero tenenda praescribit.

1. — Imprimis divinam Sacramenti institutionem, apud S. Marcum insinuatam, per Jacobum autem promulgatam, Synodus profitetur (Conc. Trid., Sess. 14, cap. 1: De Sacr. Extr. Unct.).

2. — Ritus benedictionis olei olivarum, quod materiam remotam eius constituere dicit, sacerdotibus relinquit. Meminit enim huiusmodi concessionem plurisaecularem esse ac ideo minime auferendam.

3. — Plures, nisi simul in eadem domo periculose aegrotaverint, eodem oleo inungi prohibentur. Praeterea, unctiones simul cum forma, quam tradit, peragendas esse statuit.

Notandum, eandem formam: « Sancte Pater, Medice coelestis »... paucis exceptis, in omnibus et vetustis quidem Euchologiis graecis invenire fas esse.⁴⁰ Paucis exceptis, diximus, eo quod in nostra formula invocationes ad angelos, ad vivificam Crucem, ad duodecim Apostolos, etc... eliminatae sunt.⁴¹ Eaedem invocationes etiam in Euchologio Petri Mohylae desunt.⁴²

4. — Quamvis Synodo non ignotum sit istud Sacramentum in Ecclesia Graeca, uti olim et in Latina, a septem ministrari consuevisse sacerdotibus, nihilominus cum praedictus numerus commode advocari nequeat, ut unus illud conferat decernit, pro hocque casu ritum abbreviatum componere iubet.

Quapropter Synodus consuetudinem antiquam non tollit, uti et Synodus Leopoliensis (tit. 2, cap. 5, nr. 1). Si septem tamen adhibeantur sacerdotes, mens eius est, ut omnes et unctiones faciant et formam proferant.

Arcudius contra septenariam materiae et formae repetitionem acriter pugnabat;⁴³ e contra Goar,⁴⁴ pluribus rationibus dictum ritum fulcire conabatur. Primum argumentum ex auctoritate S. Thomae con-

ROBERTI: « Porro, vix dubium esse potest normas praeceptivas canonibus supra citatis respondentes ex natura rei universos fideles afficere; at alia quaestio est, an fideles orientales iisdem poenis plectantur, poena enim et multo minus certa poena nullo modo sequitur ex natura rei, cum poenae ex iustitia procedant, sed ordinentur potius pro societatis utilitate ».

⁴⁰ J. GOAR, *Euchologium Graecorum*, Venetiis 1730, p. 346-348.

⁴¹ P. ARCUDIUS, *Tractatus de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*, lib. 5, cap. 5.

⁴² Cf. *Euchologion albo Molitvoslov ili Trebnik*, Kyjiv 1646, p. 445.

⁴³ P. ARCUDIUS, *op. c.*, lib. 5, cap. 2.

⁴⁴ J. GOAR, *op. c.*, p. 354-356.

struebat, qui asserit, quod e pluribus actionibus ad eundem finem ordinatis ultima est formalis et virtute praecedentium agit; secundum, ex iterata eiusdem peccati in confessione accusatione; tertium, ex repetitione formae confirmationis.

Idem argumentum et a Congregatione pro Euchologio Graeco edendo anno 1641, die 21 Martii, examinatum fuit. Ad dubium: « num admittendum sit ex Euchologio, ut septem sacerdotes Infirmo per septem unctiones, septies iterata materia et forma, conferant Sacramentum Extremae Unctionis... Congregatio 1° censuit: ad tollendum errorem Graecorum de necessitate plurimum sacerdotum ad huiusmodi Sacramenti administrationem in Rubrica vel in margine monendos esse Graecos, unum tantum sufficere sacerdotem. 2° Censuit posse adhiberi plures, id est septem, ad hoc Sacramentum administrandum, ita tamen, ut vel unus tantum ungat et omnes simul, dum ille ungit, proferant formam, vel singuli inungant, et singuli proferant formam cum intentione tamen, ut unum administraretur Sacramentum, illudque perficiatur solummodo cum ultimus inunxerit et formam protulerit; *vel denique* ut unus tantum inungat et proferat formam, caeteri vero orent pro Infirmo; et hunc modum et primum esse tutiores ». ⁴⁵

5. — Tandem, ne Sacramentum hoc sanis administrare audeant et ad dissipandum falsam populi suggestionem, ac si illud mortem acceleraret, Synodus sacerdotes conformiter Concilio Tridentino exhortatur (Trid. sess. 14, cap. 2).

Secundum Codices vetustos graecos, praefatum Sacramentum etiam omnibus circa infirmum adstantibus conferri debebat. ⁴⁶

De sacris ordinationibus.

1. Materia et forma; 2. hostia nondum consecrata diacono in presbyterum ordinando non tradenda; 3. ordinatio subditi proprii in alieni in propria dioecesi inhihetur; 4. quae servanda sint circa ordinationem clerici regularis; 5. examinatores ordinandorum quinam; 6. denuntiationes, examina, exercitia, confessarius non indagandus circa dignitatem candidati; 7. interstitia; 8. quinam arcendi ab Ordinibus; 9. titulus ordinationis; 10. unus pro una paroecia; 11. liber ordinandorum; 12. ordinati a Schismaticis.

Inter Synodi decreta haec, quae in praesenti paragrapho veniunt, ob gravem eorum influxum in sortes Ecclesiae Ucrainicae successivas specialem attentionem merentur. More suo Synodus vestigiis Concilii Tridentini inhaeret.

1. — E praecedentibus modum conferendi et numerum Ordinum non uniformem fuisse scimus. ⁴⁷ Synodus, hac de re conquerens, ma-

⁴⁵ Adnotationes Secretarii, in *Arch...*, vol. 74, f. 25.

⁴⁶ A. DMITRIEVSKIJ, *Euchologia*, p. 109, 1017-1019.

⁴⁷ Cf. supra p. 22.

teriam Ordinis impositionem manuum, formam vero prolationem verborum esse declarat. Post quae pro Lectoratu praescribit, ut ordinans utatur verbis: « Domine Deus Omnipotens elige hunc famulum tuum »...; pro Acolytatu, Ostiariatu et Subdiaconatu: « Tu Domine, inculpatum illum in omnibus conserva... »; pro Diaconatu et Presbyteratu: « Divina gratia, quae semper infirma curat ».⁴⁸

Synodus Leopolitana cum de Ordine disserat (tit. II, cap. 6, nr. 2), nonnisi Lectoratum, Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum enumerat. Revera, apud Graecos nec Exorcistatus, nec Ostiariatus nec Acolytatus nomine Ordinis veniunt,⁴⁹ nihilominus Synodi Zamostianae tempore, sub influxu videtur ritus latini, nonnulli Episcopi eos conferre coeperunt.⁵⁰

Aliquando theologi latini quaesierunt, utrum Graeci ad fidem catholicam conversi ad susceptionem Ordinum, quos non habent cogendi sint. Benedictus XIV in Const. « *Etsi Pastoralis* », paragr. 7, nr. 6, respondit: « Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis ritum proprium Graecum in Euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de minoribus Ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant ».⁵¹

2. — Porro, reprobat Synodus usum tradendi diacono, in presbyterum ordinando, hostiam nondum consecratam et praecipit, ut haec nonnisi consecrata esset et immediate ante communionem in manus ei imponatur.

M. Jugie non consentit, quod hoc praeceptum, uti Synodus censet, est conformius antiquae disciplinae et, auctoritate Morini fretus, asserit, diaconum initio hostiam non consecratam accipi solitum fuisse.⁵² At distinguenda esse videntur cum Nikolskij loca et tempora.⁵³ Praxis enim in ista re communis non fuit, eo quod in aliis locis in « Prothesi » hostia specialis diacono tradenda praeparabatur, in aliis autem pars hostiae ab Episcopo consecratae eidem conferebatur.

3. — In sensu Concilii Tridentini (Sess. 6, cap. 5: de Reform; Conc. Antioch. c. 22) statuit, quod ordinans in aliena dioecesi, etsi in loco exempto vel in privatis fundis, sine licentia Ordinarii loci suspensionem ab exercitio pontificalium, ordinatus autem ab exercitio ordinis, ambo ipso facto, incurrunt.

⁴⁸ Cf. *Synodus Provincialis Ruthenorum habita Zamosciae...*, ed. 3-a, p. 80-81.

⁴⁹ Cf. M. JUGIE, *op. c.*, III, p. 401-408.

⁵⁰ Cf. supra p. 22-23.

⁵¹ *Fontes Cod. Iuris Can.*, I, nr. 328.

⁵² Cf. M. JUGIE, *op. c.*, III, p. 408-409; J. MORINUS, *Commentarius de sacris ecclesiae ordinationibus*, ed. 2-a, Antuerpiae 1685, Exerc. XI, c. VII.

⁵³ N. NIKOLSKIJ, *op. c.*, p. 711.

Similiter et subditum alienum in propria dioecesi, ad normam Const. Innocentii XII «*Speculatores*» (die 4 Novembr. 1694), quam complete recipere dicit, sine litteris dimissorialibus Ordinariorum tam loci quam domicilii consecrare vetat.⁵⁴

4. — Superioribus regularibus praecipit, ut litteras dimissoriales pro suis subditis ad Episcopum dioecesanum illius monasterii, in quo ordinandi degunt, mittant, eo autem absente, ad quemlibet alium, exclusa qualibet fraude, litteras dirigant.

5. — Accessui indignorum finem imponere et conditionem intellectualem sacerdotum elevare cupiens, iubet, ut examinatores penes cathedras episcopales residentes instituantur, qui iuramento de munere fideliter obeundo praestito, simul cum theologo episcopali, sine personarum acceptatione, de ordinandorum doctrina, moribus et fide in examine sciscitare debent (Trid., Sess. 24, c. 14: de Reform.).

Synodus Leopolitana ulterius procedit et normas pro examinato-ribus, quos in synodales et prosynodales dividit, in concursibus paroe-cialibus, servandas tradit (tit. IX, cap. 4; Appendix, nr. XXXVII).

6. — Deinde, ad mentem Concilii Tridentini (Sess. 23, cap. 5: de Re-form.) statuit, ut ad Ordines promovendi duobus ante ordinationem mensibus Ordinarium de sua intentione certio-ent, qui intra Missarum sollemnia denuntiationes nominum eorum disponere debet. Quibus adimpletis et inquisitione super natalibus, vita et moribus candidato-rum per personam a se delegatam perfecta, Episcopi est, ita fert de-cretum, examini eorundem super scientia et Sacramentorum admini-stratione assistere.

Quod amplius, candidati non prius a Synodo ordinari permittuntur, quam per sex hebdomadas circa cathedram Episcopi maneant, quo tem-pore et exercitia spiritualia per decem dies peragere et ad examen subeundum instrui iubentur.

Uti patet, dispositionem ultimam illi periodo, qua Seminaria de-ficiebant, accomodatam fuisse.

Peropportune autem consuetudinem, ut ait Ecclesiae Orientalis, comprobandi testimonium de candidatorum honestate et probitate iudicio confessarii omnino abrogat.

Ad meliorem informationem de his omnibus operae pretium duci-mus, nonnulla de promotione ad presbyteratum et diaconatum sae-culis anteactis in Metropolia Kijoviensi delibare. Haec enim res usque ad publicationem operis «*Pontificale Metropoleos Kijoviensis e me-dietate saeculi XIV, iuxta recensionem (« po spysku ») sub fine saeculi XIV curatam*», ab A. S. Petruševyč (Leopoli 1901), parum notae erant.

Candidatos ad Ordines sacros exclusive e s. d. cantoribus ecclesia-

⁵⁴ *Fontes Cod. Iuris Can.*, I, nr. 258.

sticis (« djak ») seu ministris ecclesiarum inferioribus eligi solitos fuisse e Pontificali memorato constat. Deinde ordo promotionis ita describitur: Si aliquis minister (« djak ») presbyteratu augi optabat, die Lunae ad Episcopum se conferebat, qui eum de eius intentione interrogabat, postea benedicebat et domum dimittebat. Die Mercurii et Veneris iterum interrogatio, benedictio et dimissio locum habebant. Sed nunc et Episcopus per officialem suum, qui domum ordinandi interea visitabat, an candidatus ille sit filius legitimus numque « furtum vel homicidium commiserit » exquirebat. Quod si promovendus in dissito loco vivebat, litteras commendatitias affere tenebatur.

Tunc apud Episcopum examen super doctrina fiebat, quo superato ordinandus confessarium designatum adibat. Hic autem litteras commendatitias de idoneitate poenitentis ad sacerdotium Episcopo exhibebat. En earum tenor: « Ege... spondeo Domino meo Episcopo N., pro cantore... eum sacerdotio dignum ex eius confessione se demonstrare, neque servum, vel furem, vel latronem, vel periurum (« izmjennik »), vel bigamun, vel debitorem esse ».

Litteris acceptis, Episcopus diem ordinationis determinabat. Illa vero die, immediate ante Liturgiam, candidatus in conspectu Episcopi se sistebat, qui confessario eius litteras commendatitias, ut eas coram concelebrantibus perlegeret, consignabat. Interea nomina omnium adstantium in margine earundem litterarum notabantur.

Post quae, Episcopus a confessario quaerebat: « sitne ordinandus dignus sacerdotio? » Et ille: « Domine sancte, secundum eius confessionem dignus est sacerdotio ». Et iterum Episcopus: « Sitne dignus sacerdotio, spondeasne pro eo? » Ad quod confessarius: « Secundum eius confessionem spondeo (« garantisco ») pro eo quod est dignus sacerdotio ». Tunc Episcopus: « secundum tuam, pater spiritualis, professionem et commendationem promovemus eum ad sacerdotium, cuius rei testes sunt isti presbyteri ». Quae quaesita a secretario in registro referebantur et tunc solum consecratio sequebatur.

Neoordinatus, secundum illud Pontificale, apud ecclesiam cathedrallem per sex hebdomadas sacrum ministerium obire, id est durante Liturgia evangelium (« ne praecipitanter legat » et ut « initia » et « ekphoneses » sciat) tempore Matutini et Vesperarum psalmos et canones legere debebat.

Omnia haec sub ductu alicuius magistri scil. diaconi vel presbyteri (si ad presbyteratum erat promotus) perficiebat.

Elapso termino, megister cum neoordinato Episcopum adiens aiebat « Domine sancte, iste neoordinatus omnes sacras caerimonias et ministerium bene callet » Episcopus autem: « tuae conscientiae... hoc opus commisimus, tu de ista re... rationem redde ». Dum secretarius magistri verba ad acta referebat, Episcopus neoordinato ecclesiam assignabat, imposita ei obligatione, ut ceteras res usque ad Synodum dioecesanam

addisceret. Tunc denuo Episcopus eum examinabat et litteras « chirotoniae » praestabat vel paroecia ob ignorantiam privabat.

Describitur etiam in eodem Pontificali et processus illius, qui apud Episcopum de non idoneitate ad sacerdotium accusatus erat. Hoc in casu Episcopus litteris commendatitiis apertis, et confessario et concelebrantibus in die eius ordinationis accessitis, conversus ad confessarium rogabat: « tu testibus tuis litteris et confratribus » canonicis (« krylošanis ») pro isto cantore ipsum sacerdotio dignum esse spondisti? Et confessarius: « Similes res iste cantor mihi, tuo oratori, non revelavit sed eas tacuit. Ordinanti vero non ignotum est quomodo iste, qui non secundum veritatem confessus est ad normas iuris a iudicio ecclesiastico puniendus sit ».⁵⁵

Ex his patet illam confessarii interrogationem veram sigilli sacramentalis laesionem constituere.

7. — Insuper, in Ordinum collatione certa interstitia servanda Synodus praescribit ita tamen, ut lectoratum et subdiaconatum eodem die conferre permittat, inter subdiaconatum autem et diaconatum et inter diaconatum et presbyteratum decem dies statuatur.

Decretum hoc contra praxim Ordinariorum eodem die Ordines tam minores, quam maiores conferendi latum fuit.⁵⁶ Sed etiam quoad ordinandorum aetatem plenum Ordinariorum arbitrium regnabat ideoque, ut aetas a Concilio Tridentino praescripta observetur, Synodus iubet.⁵⁷

8. — Arcendos autem ab Ordine vult Synodus neophitos, bigamos, suspensos, interdictos, infames, excommunicatos, criminosos, corpore nimis vitiatos ceterosque impedimento Canonis irretitos.

Servos vero non prius, quam instrumentum liberationis scriptum et ad acta publica relatum acceperint, ordinandos esse statuit.

Ultimo decreto querelas et oppressiones dominorum Synodus evitare studuit.

Stricte praeterea, quia sub poena suspensionis per annum ab Ordinum collatione pro ordinante, promotionem illiterati ad Ordines sacros prohibet. Imo suspensionem ab Ordinis exercitio, usque dum eruditus non fuerit, ad mentem Concilii Tridentini, in ipsum ordinatum decernit.

9. — Pariter et illum eadem plectitur censura, qui titulo perpetuo servitii ecclesiae non provisus ordinatus fuerit, Episcopum autem ipsum ad praestanda ei alimenta obligat.

10. — Deinde, plures quam unum pastorem pro una paroecia ordi-

⁵⁵ Cf. *Trudy Kiejevskoj Duchovnoj akademiji*, 1902, II, p. 134-145.

⁵⁶ *Arch...*, vol. 64, f. 200. « Tollatur usus conferendi una die tam minores, quam majores Ordines... ».

⁵⁷ « Unde si nolunt observare Canones Graecorum (20 subdiaconus, 25 diaconus, sacerdos 30 annos) observent Latinorum quoad aetatem »; *IBID.*

nare inhihet (Caus. 21, q. 2, Can. 4), nisi ob populi numerum Episcopus vicarium constituere opportunum censuerit. Huic vero sub poena suspensionis a Tridentino statuta (Sess. 23, cap. 16) paroeciam relinquere non licere edicit.

11. — Ad statum cleri melius cognoscendum disponit Synodus, ut Ordinarii librum ordinandorum, in quo nomen, cognomen, patria, aetas, beneficium, dies ordinationis describerentur, habeant.

12. — Tandem contra catholicos, qui se a schismaticis ordinare fecerint, poenam suspensionis perpetuae, ipso facto incurrendae, decernit.

Ex adverso sacerdotes schismaticos, qui schisma eiuraverint et fidei professionem emisissent ad Sacra obeunda admittere permittit.

De Matrimonio.

1. Materia et forma; 2. locus ubi contrahendum sit; 3. impedimenta; 4. denuntiationes-vagi; 5. coactio partis ad matrimonium contrahendum vel sacerdotis ad assistendum; 6. liber matrimoniorum; 7. matrimonium sacerdotis post ordinationes.

1. — Administrationem huius Sacramenti in Metropolia Kijoviensi propemodum eandem esse ac in Ecclesia Latina Synodus, ad decretum « *Tametsi* » provocans, declarat eamque servare praecipit.

En quo modo ad hoc evolutionis iuris matrimonialis stadium perventum sit. Simul cum fide (saec. X) etiam disciplinam in Ucrainam e Byzantio invectam fuisse nemini ignotum est. Cum vero ibi inde a decreto Leonis VI (versus 895) relate ad matrimonium liberorum⁵⁸ et decreto Alexii Comneni (inter an. 1085-1095) relate ad matrimonia servorum⁵⁹ benedictio sacerdotis obligatoria evasit, ita ut sine ea quaecumque coniugia invalida, imo secundum expressionem patriarchae Lucae Chrysoverghis (1156-1169) uti fornicatio considerari coeperunt, aliquid simile et in Ucraina obtinuit.⁶⁰

Nihilominus in monumentis iuris ecclesiastici Metropoleos Kijoviensis matrimonia sine benedictione sacerdotis saeculis XI-XVII occurrunt.⁶¹ Sane duae res distinguendae erant: convenientia nempe, ut matrimonia christiana a sacerdote benedicerentur et doctrina, quae matrimonii essentiam constituat. Quae distinctio serius in magno catechismo a theologo Kijoviensi orthodoxo Laurentio Zyzanio confecto,

⁵⁸ Nov. 89.

⁵⁹ Nov. 24, 27, 31, 35.

⁶⁰ Cfr. AE. HERMAN, S. J., *De benedictione nuptiali quid statuerit Ius Byzantinum sive ecclesiasticum sive civile*, in *Orientalia Chr. Period.*, IV, p. 189-234. M. JUGIE, *op. c.*, III, p. 447 sq.

⁶¹ J. DAUVILLIER - C. DE CLERCQ, *Le Mariage en droit canonique oriental*, Paris 1936, p. 42-43; A. PAVLOV, *Kurs tsekovnago prava*, 1902, p. 365 sq.

ubi benedictio ut quid adventicium venit, clare enuntiatur.⁶² In Euchologio Petri Mohylae (an. 1646 edito) docetur, materiam huius Sacramenti virum et mulierem libere contrahentes, formam vero consensum eorundem per verba coram sacerdote expressum constituere. Deinde ipsam matrimoni definitionem, e catechismo Romano mutuatam, in praefato Euchologio invenimus.⁶³

Plura tamen adhuc obscura in iure matrimoniali tam apud orthodoxos quam catholicos manebant. Qua de re Hierarchae cum Ecclesia Romana uniti ius latinum adoptari in animo habuerunt. Et a Metropolita in Synodo dioecesana Kijoviensi (die 11 Octobr. 1619), postea vero in provinciali in civitate Kobryn (die 6 Septembr. 1626) coadunati, matrimonia aliter quam coram parocho proprio et duobus vel tribus testibus celebrata nulla declararunt. Seu normas Concilii Tridentini (Sess. 24, cap. 1: de Matr. decr. «*Tametsi*»), nulla de eo facta mentione, auctoritate propria publicarunt.⁶⁴

Quae res maximas in Congregationibus Propagandae Fidei et S. Concilii disceptationes exagitavit: iure vel iniuria hoc fecerint, competentesne vel minus Patres Synodales fuerint ad impedimentum dirimens statuendum?

E doctoribus alii de validitate constitutionum, quae decreto «*Tametsi*» respondebant non dubitabant Tridentinique Concilii nomen ideo a Synodis dissimulatum fuisse aiebant, ne Orthodoxi-separati in vulgus spargendi Latinos suos mores ritusque in Ecclesiam Orientalem invehere velle ansam arriperent. Ex adverso, alii pro decretorum nullitate militabant, hac nisi ratione, quod Synodus auctoritatem, quam unice ad Romanum Pontificem vel Concilium Oecumenicum spectare existimabant, sibi immerito attribuit.

Haec altera sententia S. Congregationi Concilii arrisit, quae die 2 Decembris 1628 rescripsit, decreta Synodalia firmitatem nuptiis contra formam in eis statutam adimere non potuisse et quod sequitur, matrimonia vi ipsorum rescissa, quamvis coniuges interea in alias convolverint nuptias, redintegrare iussit.⁶⁵ S. Pontifici autem, qui Urbanus VIII-us fuit, Congregatio consuluit, ut duo Brevia ad Nuntium expedirentur, e quibus in primo publicationem expressam decreti Tridentini demandaret, in altero, nulla facta Concilii Tridentini mentione, ipse

⁶² Cf. *Trudy Kijevskoj Dukhovnoj Akademiji*, 1898, III, p. 285-286.

⁶³ *Euchologion albo Molitvoslov ili Trebnik*, Kyjiv 1646, p. 359. Ampla instructio de Sacramento matrimonii, quae vix ab ipso decreto «*Tametsi*» differat ex *Euchologio isto* in primam editionem, non manuscriptam, sed typis editam «*Kormčaja*» Russorum a Patriarchis Josepho (in cap. 51) et Nicone (an. 1653-in cap. 50) transiit. Cfr. A. PAVLOV, *50 glava Kormčej knigi*, Moskva 1887.

⁶⁴ Cfr. BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioecesana*, XII, 5, 7 sq.

⁶⁵ *Fontes Cod. Iuris Can.*, V, nr. 2497, p. 253.

Pontifex nuptias sine parochi et duobus vel tribus testibus assistentia, post debitam legis promulgationem, nullas declararet.

Revera duo extant Brevia, unum de die 14 Decembris an. 1629,⁶⁶ alterum de 21 Aprilis 1632.⁶⁷ Prudentia enim et respectus ad orthodoxos-separatos exigebant, ne quamvis secundum tenorem at non secundum nomen famosi « *Tametsi* » matrimonia clandestina in Metropolia Kijoviensi prohiberentur. Haec de introductione « *Tametsi* » apud Ucrainos.⁶⁸

Cum, uti ex capite primo constat, nonnullae dioeceses tempore quo « *Tametsi* » promulgabatur orthodoxae manerent, ibi serius simul cum unione cum Sede Petri legem praedictam promulgatum fuisse vel saltem vi Synodi, quatenus in forma specifica approbatae vigere coepisse dicendum est. At rem difficultate non carere fatendum videtur, quia nonnullis in locis, paucis quidem, specie in dioecesi Luceoriensi, Pincensi schisma et post Synodum perduravit, postea autem fere ubique, postquam Russia Metropolia Kijoviensi, excepta provincia Leopoliensi, potita est, triumphavit ita, ut forma Tridentina in desuetudinem abiit.⁶⁹

In memorata modo provincia Ucrainorum Leopoliensi die 5 Maii 1911 decretum « *Ne temere* » extensum est.⁷⁰ Hac in occasione eadem fere vicissitudines, quae introductionem formae Tridentinae comitabantur repetitae sunt. Episcopi enim crediderunt se illud et in suis dioecibus evulgare posse. At cum S. Congregatio de Prop. Fide die 2 Februarii 1908 declarasset, ipsum Orientales non respicere, Metropolita Andreas Szeptytskyj S. Congregationem rogavit, ne ad confusionem in populo evitandum decretum evulgatum revocare cogerentur⁷¹ Cui supplicationi Congregatio morem mense Augusto 1909 gessit et tandem memorata decreta definitive ad provinciam Leopoliensem extendit.⁷²

Idem decretum emigrantibus ucrainicis in America - in Statibus Foederatis Am. Sept. die 18 Augusti 1913,⁷³ in Canada die 17 Aug. 1914,⁷⁴

⁶⁶ *Ius Pontificium de Prop. Fide*, I, p. 118-120.

⁶⁷ *IBID.*, p. 139-140.

⁶⁸ Decretum tamen hoc particulare quaestionem illiam de competentia Episcoporum Orientalium maxime in Synodis impedimenta dirimentia statuendi non solvit. Praefata enim potestas cum causam absolute maiorem non constituat et nullo decreto generali Pontificio adempta sit, eis competere videtur. Cfr. quae egregie scripta sunt apud J. CHR. JAROS, C. Ss. R., *Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos*, Olomucii 1939, p. 236-246.

⁶⁹ Cfr. *Apollinaris*, XIII (1940), p. 184-185.

⁷⁰ V. MASTSIUCH, *Tserkovne pravo supruže*, Peremyšl 1910, p. 403-404, nota 20; *Archiv fuer Kath. Kirchenrecht*, XCII, p. 484.

⁷¹ Cfr. A. A. S., XLI, p. 108-109; V. MASTSIUCH, *l. c.*

⁷² *Archiv. f. Kath. Kirch.*, *l. c.*

⁷³ A. A. S., 5 (1913), p. 398, art. 36.

⁷⁴ A. A. S., 6 (1914), p. 463, art. 30.

in America Merid. die 27 Martii 1916,⁷⁵ - et in Jugoslavia (die 4 Junii 1932) degentibus datum fuit.

Relate ad Ucrainos in diocesibus Mukaciensi, Eperiesensi illosque hodie iam hungarizatos in Hajdudorog notandum, quod eorum Ordinarii anno 1917 S. Sedem adierunt, « ut vim Codicis - exceptis legibus liturgicis et disciplinaribus et aliis mere latinis - eparchiis suis extendere dignaretur. Rescriptum Commissionis Pontificiae petitioni favens, de assensu b. m. Papae Benedicti XV ad Ordinarium Munkaciensem directum, Episcopo Hajdudorogensi solum anno 1952 communicatum est.⁷⁶

2. — Deinde parochi monentur, ne sine expressa Ordinarii loci licentia, coniuges in domibus privatis copulare audeant.

3. — Impedimenta vero matrimonialia Synodus non omnia meminit, sed solummodo quaedam ad exemplum adducit: aetas, consanguinitas, affinitas, crimen ex adulterio cum promissione matrimonii, cognatio, publica honestas et raptus. At, excepto impedimento aetatis, nihil quousque se extendant dicit et per expressiones « consanguineus, affinis aut cognatus in gradu prohibito » vel « si quis alio canonico impedimento teneatur », ad ius latinum sui temporis nos remittere videtur. Ceterum in manualibus posterioribus omnia impedimenta, uti a canonistis latinis recenseri solita erant, etiam apud Ucrainos commemorabantur.⁷⁷

In sensu decreti « *Tametsi* » praescribit, ne parochi ad matrimonium illos admittant qui mysteria fidei ad salutem necessaria ac orationem dominicam, salutationem angelicam et symbolum fidei ignorant. Olim ab aliquibus theologis, inter quos ceber Thomas Sanchez, docebatur doctrinae christianae ignorantiam impedimentum matrimoniale constituere non valere.⁷⁸

Correxit etiam falsam illorum parochorum opinionem, qui ob discessum unius coniugis per septennium et non amplius comparentis alteri coniugi novum matrimonium permitti posse censebant et statuit, ut id nisi in casu, quo certe de morte constat, fiat.

4. — Ut autem impedimenta parochis innotescere possint, ad normam « *Tametsi* » tres denuntiationes, diebus festivis subsequentibus intra Missarum sollemnia in paroecia faciendae praescribuntur. Quod si alteruter coniugum in alia paroecia domicilium habet, etiam ibi de-

⁷⁵ A. A. S., 8 (1916), p. 105.

⁷⁶ Cfr. A. COUSSA, *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali*, Typis Polyglottis Vaticanis 1940, I, p. 17-18.

⁷⁷ Cf. V. MAS TSIUCH, *op. c.*, p. 151-324.

⁷⁸ THOMAS SANCHEZ, *De Matrimonio*, lib. 3, disp. 15, num. 9.

Quae sententia etiam Synodo Bononiensi anni 1634 placuit. Sed oppositum innumeris aliis Synodis et auctoritate SS. Pontificum praevaluit. (BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioecessana*, VIII, 14, 1 sq.).

nuntiationes peragenda sunt. Idem et de illo cavetur, cuius persona ob brevem moram, quam in paroecia trahit, parum est nota. Ordinario ex gravissima solum causa facultas ab hoc decreto dispensandi conceditur. Parochos, quos ipse transgressores eiusdem noverit, suspensione ab officio ad triennium aliisque poenis iuxta arbitrium punire valet.

Specialis procedura servanda in copulandis vagis, ignotis, exteris et extraneis a Synodo exhibetur. Exteri hic illi audiunt, qui sive in aliena dioecesi nati sive in eam e Regno alieno immigrati ibi sedem aliquo tempore fixerunt. Extraneos a Regno eos nuncupat, qui nullibi certum ac fixum domicilium habent. Sub his insuper ignotos et vagos comprehendere videtur.

Relate ad extraneorum matrimonium, qui neque fidem Ordinariorum neque testes afferre valent, tales a parochis in matrimonium coniungi vetantur, nisi antea iuramentum de statu libero in manibus Ordinarii vel, ex eius commissione, decani emiserint.

Exteriorum denuntiationes non prius initiandae dicuntur, quam testimonium de libero statu ab Ordinariis, in quorum dioecesibus commoraverint, praesentaverint.

5. — Ad plenam dein contrahentium libertatem tutandam, poenam Concilii Tridentini (Sess. 24, cap. 9), scil. excommunicationis ipso facto incurrendae et Romano Pontifici reservatae, contra eos repetit, qui sive nupturientes ad contrahendum sive parochum, non praemissis proclamationibus vel aliquo obstante impedimento, ad assistendum coegerint. Ideo parochis iniungit, ut sponso in ecclesia de libero eorum consensu interroget.

6. — Matrimonio benedicto, praecipitur, ut tam coniugum quam testium nomina et cognomina, data celebrationis et locus et an dispensatione opus fuerat, vel utrum parochus ipse vel sacerdos ab eo delegatus coniunxerit, in libro separato sedulo referantur.

7. — In fine, de presbyteri post ordines inito matrimonio ita Synodus cavet: « Si quis autem presbyter post collatos Ordines matrimonio iungi, aut prima uxore defuncta, secundas incoestas nuptias inire praesumpserit, per Episcopos a communione atque altari arceatur, captivetur et aliis poenis canonicis afficiatur, ut peregrinam spuriamque coniunctionem abiciat ».

Notandum statim ad calcem huius decreti, Synodum canonem tertium Concilii Trullani citare.⁷⁹

⁷⁹ « *Trullana Synodus* - ita A. COUSSA, in *Epitome praelectionum de Iure Ecclesiastico Orientali*, Typis Polyglottis Vaticanis 1940, p. 71, anni 691 inter oecumenicas non recensetur, quia certo non constat, eandem a Romano Pontifice probatam fuisse.

Canones autem Trullani pro Orientalibus valent, firma tamen clausula generali a Romanis Pontificibus, disciplinam Orientalem probantibus, apposita. Joannes

Uti ex lectura decreti patet, heic de matrimonio presbyteri *post Ordines* sacros agi. Ad effectus canonicos parum Synodi interest, utrum ad nuptias ille convolaverit, qui in caelibatu ordinatus fuit vel ille, qui, morte primae uxoris praematura secuta, secundam duxerit. Uterque enim ab Episcopo excommunicari, in carcerem detrudi vel aliis poenis canonicis, ut « peregrinam, spuriamque coniunctionem abiciat » adigi debet.⁸⁰ Sed quid sit coniunctionis abiectio ulterius quaerimus? Sitne tori vel vinculi separatio seu aliter, sitne matrimonium ipsum validum vel invalidum?

Responsum e Synodo vix erui posse fatendum est, nec ad quaestionem rite solvendam verba, « peregrina, spuriaque coniunctio » aliquid conferunt. Verum est, quod ex eis nonnulli ad invaliditatem huiusmodi matrimonij concludunt at immerito.⁸¹

Imprimis appellatio « peregrina » venit, quae in sensu translato, de quo heic solum sermo esse potest, ad ignorantiam refertur, quia peregrinus ea, quae fiunt ubi ipse versatur, scire non solet.⁸² In lingua scholastica ordinaria « peregrinus » idem ac « singularis » audit. Ergo de matrimonio singulari, communiter ignoto est sermo. Sed an eo ipso invalido? Non liquet. Nam plura, quae etsi contra mores fiant, prohibita utique evadunt, non tamen semper irrita. Ad summum, vi istius vocabuli, de consuetudine impedimentum Ordinis constituyente loqui possemus. Tamen utrum dirimenti an impediendi, haec est quaestio. Dein consensus competentis auctoritatis ecclesiasticae in talem consuetudinem probari deberet.

Porro, matrimonium illud « spuria coniunctio » nuncupatur. Verbum « spurium », uti adiectivum acceptum, illum, qui non iustis nuptiis procreatus est seu illegitimum, - a voce graeca *σπειρω* vel *σποράω* -, significat.⁸³ Unde nuptiae spuriae in iure non dantur, sed filii spurii.⁸⁴

VIII (an. 872-882) de iisdem Trullanis canonibus agens haec habet: « Ita in hac Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illae recipiantur, quae prioribus canonibus vel decretis Sanctorum Sedis huius Pontificum, aut certe bonis moribus inveniantur adversae » (MANSI, t. 12, col. 982 sq.).

⁸⁰ De nimia proinde simplicitate assertio J. BOBAK argui debet: « Dubium esse nequit quin Synodus prohibere voluerit matrimonium contrahere eos, qui S. susceperint Ordines in statu caelibati. Non autem est aequaliter certum ac indubium, num eodem modo sit prohibitum matrimonium ei qui, mortua prima uxore... viduus factus sit. » (*De caelibatu ecclesiastico deque impedimento Ordinis Sacri apud Orientales et praesertim apud Ruthenos*, Romae 1941, p. 154).

⁸¹ F. M. CAPPELLO, *De Sacramentis*, III, Romae 1933, nr. 908.

⁸² Cfr. FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis*, sub voce « peregrinus ».

⁸³ *IBID.*, sub voce « spurium ».

⁸⁴ Cfr. *Dig.* 1, 5, 23.; Caius in *Inst.* 1, par. 64 ait: « Si quis nefarias atque incestas nuptias contraxerit, neque uxorem habere videtur, neque liberos. Illi enim, qui ex eo coitu nascuntur, matrem quidem habere videntur, patrem vero non utique. Unde solent spurii appellari ».

Non remanet nisi dicamus, quod Synodus ista voce in sensu improprio usa est, ut in genere rem illegitimam exprimeret. Ceterum etiam Aristenes in commentario ad canonem tertium Trullanum matrimonium post Ordines (Presbyteratum, Diaconatum et Subdiaconatum) contractum, « alienam spuriamque congressionem » nominat.⁸⁵

Ulterius, nuptiae illae incoestae a Patribus Zamostianis appellantur.⁸⁶ Adiectivum « *incestus, -a, -um* » generatim aliquid non castum, centaminatum, impurum, pollutum significat.⁸⁷ Uti substantivum sump-tum, « *incestum, -i* » est flagitium impudicum, illicitum cum aliquo congressus; lege aut moribus prohibitus - graece ἀνόσιτος.⁸⁸

Quapropter sive vocem « *spuria* » sive « *incaesta coniunctio* » consideramus, Synodum Zamostianam sub eis matrimonium lege prohibitum intendisse ambigere non possumus. Tamen an invalidum vel solum prohibitum asserere non audemus. Plura enim, etsi prohibita, semel facta sustinentur.

Difficultatem et gravitatem rei ipsi Patres Synodales persentiverunt, eo quod de isto impedimento non in loco, ubi de aliis impedimentis agunt, discernunt, sed omnino in fine paragraphi. Ibi, uti animadvertimus, in genere remittunt ad disciplinam latinam, sed de impedimento Ordinis ad disciplinam orientalem, quam in negotio praesenti conservare volunt, provocant. Unde hanc examinare debemus. Canon enim Trullanus a Patribus allatus, sua vice alios in memoriam revocat.

Prima vice de clericorum matrimonio in s. d. Canonibus Apostolicis sermo recurrit. In canone 26-o cavetur, ut illi, qui ad clerum caelibes assumpti fuerint, matrimonium si velint contrahant, sed tantum lectores et cantores, non vero alii. E contra, qui secundum matrimonium contraxerint (can. 17-us) vel viduam, ab alio dimissam, meretricem, servam vel scenicam (can. 18-us) vel consanguineam (can. 19-us) duxerint ad sacros Ordines admitti prohibentur.⁸⁹

Concilium Ancyranum (an. 314) in can. 10-o diaconis in statu caelibis ordinatis tunc tantum matrimonium contrahere permittit, si ordinationis tempore eiusmodi intentionem expresserint, secus ab officio

⁸⁵ BEVEREGIUS, *Synodikon sive Pandectae Canonum*, Oxonii 1622, I, p. 161.

⁸⁶ Ad suam miram hypothesim probandam, ac si Synodus solum secundas *incestas* nuptias sacerdotis prohibuerit, BOBAK ad aliam assertionem documentis non probatam confugit, scil. quod Synodi tempore « frequens numerus matrimoniorum inter consanguineos... gravis fuit plaga nationis Ruthenicae » (*op. cit.*, p. 155).

⁸⁷ Dig. 23, 2, 39.; Cf. CICERO, *De legibus*, 2, 9, 22.

⁸⁸ Cf. FORCELLINI, *op. c.*, sub « *incestus* ».

⁸⁹ Praeterea accessus ad clerum prohibetur canonibus: 12-o Basilii Magni eis, qui secundum matrimonium contraxerint, 8-o Concilii Neocesar., quorum uxor adultera sit, 10-o Conc. Laodic., 21-o Carthagin. et 14-o Trull. eis, qui non orthodoxam duxerint.

removendi sunt. Dein Concilium Neocesariense in can. 1-o statuit, quod presbyter uxorem ducens deponendus est.

Rigidior legislatio cum Iustiniano incipit. Hic in suo Codice⁹⁰ memor facti, quod sacri canones presbyteris, diaconis et subdiaconis matrimonium post ordinationem vetant, contra omnes, qui delictum istud perpetrant, pariter poenam depositionis a dignitate et privationis ab officio decernit, sed insuper eorundem filios vult tales esse, « quales ex incestis vel nefariis nuptiis procreatos leges definiunt, ut ne naturales quidem vel spurii intelligantur, sed omnino interdicti ac parentum successione indigni ».

Nunc modo, ex ordine, quid Synodus Trullana disponat considerandum est. In canone eius tertio, prolixissimo nec nimis perspicuo, casus illorum presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum resolvitur, qui eo tempore *post* ordinationem vel secundis nuptiis se implicarunt vel, quia caelibes ordinati, ad primas convolarunt vel quamvis ante ordinationem, sed viduam duxerunt. Hi omnes si « usque ad decimum quintum praeteriti mensis Januarii praeteritae quartae indictionis anni sexies millesimi centesimi noni⁹¹ peccato servierunt et non ab eo respiscere voluerunt depositioni » subiciuntur. Si vero signa poenitentiae antea dederunt, « malum a se absciderunt, et hanc adulterinam et alienam congressionem procul abegerunt », isti brevi temporis spatio a sacro ministerio prohibendi, « rursus propriis gregibus restitui » debent, « ad alium gradum (altiozem) nequaquam promoveri eis nefario videlicet dissoluto conjugio ».⁹²

Continuant tamen Patres: « Haec autem in his qui deprehensi sunt usque ad decimum quintum, ut dictum est, mensis Januarii quartae indictionis, in *prius declaratis delictis solum valere* ». In posterum enim se illum canonem renovare dicunt, qui statuit: « eum qui duobus matrimoniis post baptismum implicatus fuerit, vel concubinam habuerit, non posse esse episcopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel omnino ex sacerdotali catalogo. Similiter et qui viduam accepit, vel dimissam, vel meretricem, vel servam vel scenicam non posse esse ».⁹³

Non ita confusus canon sextus eiusdem Synodi apparet. In eo disponitur, quod conformiter canoni apostolico, subdiacono, diacono vel presbytero nonnisi ante ordinationem coniugium contrahere licet, qui vero post ordinationem hoc fecerit, deponendus est.⁹⁴

Et ita fere explicit elenchus canonum, qui apud Orientales ad ca-

⁹⁰ Cod. 1, 3.

⁹¹ Anno Christi 706, quo canones conditi fuerunt. Cfr. *Syntagma Canonum*, in P. G., CIV, col. 511-514.

⁹² *IBID.*

⁹³ Hi sunt canones 17-us et 18-us s. d. Apostolici.

⁹⁴ Idem in can. 26-o Apostolico statuitur.

sum adduci solent. « Fere explicit », quia meminisse iuvat imperatorem Leonem VI (Sapientem) legem illam Iustiniani, secundum quam subdiaconus vel diaconus, vel presbyter, qui post ordinationem matrimonium contraxerat, deponeretur et in statum laicalem reducebatur, mitigavit. Novella enim sua 79-a praecipit, ut huiusmodi clerici poenis adaequatis puniantur, nullatenus tamen habitu et alio ministerio ecclesiastico inferiori, cuius usus illicitus eis non sit, priventur.

Cardinem tamen disciplinae ecclesiasticae imperatorum edicta, praesertim pro catholicis, constituere non possunt, cum secundum Benedicti XIV-i effatum: « in iuribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi »⁹⁵

Quibus expositis quaesitum resumimus: quid de matrimonio presbyteri ad normam iuris Orientalis censendum sit? Ad rem non uno ore auctores catholici neque orthodoxi-separati respondet. Inter doctores catholicos alii matrimonium subdiaconi, diaconi et presbyteri post ordines contractum invalidum vi canonum,⁹⁶ alii e contra solum prohibitum reputant.⁹⁷ Ex auctoribus orthodoxis maior pars in primam sententiam inclinat. At hi rite intelligendi sunt, nam secundum eos praedictorum clericorum matrimonium in invalidum existimatur usque quo in exercitio sacri ministerii manent, post vero depositionem, quia iam uti laici habentur, non ita. Ceterum legislatio Imperii Russici usque ad communistarum adventum ita rem concipiebat.⁹⁸ Solummodo tempore omnino recenti opinio, iuxta quam etiam presbyteri valide contrahere possent, viam sibi sternere et in praxim deduci coepit. Clamorosum eius initium scientificum canonista Milasch sua opella fecit.⁹⁹

⁹⁵ Benedicti XIV, Instr. « *Eo quamvis tempore* » (die 4 Maii 1745, par. 39). Cfr. *Fontes Cod. Iuris Can.*, I, nr. 357.

⁹⁶ J. ZHISMAN, *Eherecht der orientalischen Kirche*, Wien 1864 p. 473-477; LAMMER, *Das impedimentum ordinis und seine Anwendung auf den Klerus der orientalischen Riten*, in *Archiv. fuer Kath. Kirchenrecht*, t. X, p. 242 sq.; A. BOGGIANO PICO, *Il matrimonio nel diritto canonico*, Torino 1936, p. 236; M. JUGIE, *op. c.*, III, p. 407; F. X. WERNZ, S. J., *Jus Decretalium*, Prati 1912, IV, p. 214; PAPP-SZILAGYI, *Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis*, M. Varadini 1862, par. 16, 17, 101; V. MASTIUCH, *op. c.*, 213; et alii.

⁹⁷ P. ARCUDIUS, *De concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*, Lutetiae Parisiorum 1622, lib. VII, cap. 40; NICOLAUS COMNENUS PAPAOPOLI, *Praenotationes mystagogicae*, Patavii 1696, p. 86; SAMUEL KLEIN DE SZAD, *Dissertatio canonica de matrimonio iuxta disciplinam Graecae Orientalis Ecclesiae*, Vindobonae 1781, p. 62-64; R. SOUARN, *L'ordre empêchement canonique du mariage chez les Grecs*, in *Echos d'Orient*, vol. IV (1900-1901), p. 69-71.

⁹⁸ Cfr. M. SUVOROV, *Učebnik tserkovnago prava*, Moskva 1912, p. 357. KRASNOZER, *Tserkovnoje pravo*, Jurjev 1917, p. 221.

⁹⁹ N. MILAŠ, *Rukopoloženije kao smetna braka* (Ordinatio uti impedimentum matrimonii), Mostar 1907. Hoc opus refutare studuit: S. TROITSKIJ, *Vtorobračije Klirikov*, S. Peterburg 1912; Cfr. E. WOJUCKI, *Die Wiederverehelichung der Priester in der morgenlaendischen Kirche*, in *Archiv f. kath. Kirchenrecht*, t. 88 (1908),

Haec eadem quaestio non semel in Curia Romana agitata fuit. Praesertim sub Benedicto XIV-o, magnae auctoritatis viri studio eius incu- buerunt. Mos nempe apud Cophthos ferebat, ut pueri in aetate infantili diaconi ordinarentur, at cum nonnulli statui clericali valedicerent, po- stea uxores ducebant. Tunc missionarii Romam se verterunt, quid de tali matrimonio censendum interrogabant. Et « diu multumque - scribit Pontifex - agitata est inter theologos controversia illa, plena iurgii ac dissidii: An solum illicitum, vel potius illicitum et invalidum reputari deberet matrimonium initum in Ecclesia Orientali post collationem Sa- crorum Ordinum, quem admodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia Occidentali. Placuit sane pluribus, validum, sed illicitum cen- seri debere huiusmodi matrimonium, tum quia canonicae sanctiones et decreta Ecclesiae Occidentalis illud irritantia protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; tum quia canones Synodi Trul- lanae... nullibi expresse annullant et irritant matrimonium post Sa- cros Ordines contractum. Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate, et saniori certe consilio; utpote tuentes sententiam ma- ioribus suffragiis suffultam, et menti congregationum urbis consen- taneam... ».¹⁰⁰

In media lucta Pontifex per hanc Instructionem missionariis iniunxit, ut cum certiore redderent, an dispensatio super huiusmodi matri- monio plus commodi et utilitatis, quam scandali allatura esset. In- terdum per quinque successivos annos doctorum consultationes non cessabant. Tandem dubio inter eos persistenti, Pontifex in matrimoniis Orientalium - in casu Cophthorum - in sacris contractis sine consensus renovatione dispensandum esse pronuntiavit, seu, ut aliis dicamus verbis, Pontifex eadem matrimonia rata habuisse videtur, secus obtenta dispensatione consensus deberet renovari.¹⁰¹

Et merito quidem, nam verba canonis tertii Trullani: « adulterina et aliena congressio, » vel « nefarium coniugium dissolvere, » non statim nullitatem, sed aequae, imo potius tori separationem suadent. Nuptiae illae eo sub nomine « adulterinae » et « nefariae » veniunt, quia ca- nonibus prohibitae. Tandem cum in dubio stricto de extensione et vi legis versamur, standum est pro valore actus, scil. matrimonii. Et ita fiat conclusio: neque ex Synodo Trullana, ad quam Patres Zamostiani re- currunt argumentum cogens pro invaliditate matrimonii illius desumi

p. 405; C. KNETES, *Ordination and matrimony in the Eastern Orthodox Church*, in *Journal of Theological Studies*, t. 11 (1910), p. 348 et 481.

¹⁰⁰ Instr. « *Eo quamvis tempore* » (die 4 Maii 1745), par. 38; Cfr. *Jus Ponti- ficium de Prop. Fide*, III, p. 228.

¹⁰¹ Instr. « *Anno vertente* » (die 19 Junii 1750), par. 12; *IBID.* p. 414-415; Cfr. J. BOBAK, *op. c.*, p. 151.

potest.¹⁰² Deinde si Patres matrimonium subdiaconi et diaconi validum reputabant, non erat ratio solum de matrimonio presbyteri dubitandi, quia iidem canones et eodem modo pro omnibus his clericis cavent.

In fine aliquid de dispensatione pro Metropolia Kioviensi in his casibus addendum est. Responsa, quae ad Episcopos veniebant, non semper uniformia erant: aliquando S. Congregatio de Prop. Fide, -via S. Officii, cui hanc materiam remittebat, - matrimonia sacerdotum post Ordines nulla mulieresque liberas vel separandas declarabat,¹⁰³ aliis vero vicibus eadem Congregatio dispensationem pro talibus sacerdotibus concessisse videtur.¹⁰⁴ En quid in litteris paucis diebus ante Synodum Zamositianam Congregatio de Propaganda Fide scribit: « La facoltà di dispensare con qualche numero de' Sacerdoti passati illecitamente alle 2^o nozze, si suol qui concedere ogni qualvolta i Vescovi ne fanno istanza, e per quel determinato numero di Persone, che han bisogno di simil Dispensa, e però nei casi particolari devono supplicare toties quoties ne han bisogno, suppresso tamen nomine Sacerdotum, cum quibus est dispensandum. Il concederla poi per i casi avvenire, e persone non determinate, non è praticabile ».¹⁰⁵

Art. 3. — De decretis ad Cleri regimen spectantibus.

E documentis antesynodalibus comperimus duobus praecipuis malis medendis Synodus studere debbat, scil. simoniae et ignorantiae cleri. Et hoc sane Patres per decreta, quae nunc considerata nobis veniunt, praestiterunt.

Ante omnia igitur normas, quibus Episcopi, dein vero clerici inferiores et monachi regendi sunt tradunt. Eundem ordinem retinentes, aliquas saltem adnotationes faciemus, vel earum vim discussioni subiciemus.

De Metropolitano (tit. 5).

Quaestiones controversas de iuribus eius et praerogativis tam erga

¹⁰² F. X. WERNZ, S. J., asserit: « Sanctiones Imperatoris Iustiniani de nullitate matrimoniorum clericorum, quae ex sese, utpote a potestate incompetente latae, valorem non habuerunt, a Concilio Trullano receptae fuerunt » (*Ius Decretalium*, t. IV, pars II-a p. 214). Quae non recte dicta esse videntur, quia Synodus Trullana nihil de illegitimitate filiorum sacerdotum cavet et nonnisi canones ecclesiasticos praecedentes, scil. 17, 18 et 26-um Apostolicum repetit.

¹⁰³ *Codificazione Canonica Orientale*, Fonti, VIII, nr. 387-390.

¹⁰⁴ Cfr. *Atti della S. Congr. di Prop. Fide dell'anno 1716*. Secretarius adnotat ad Congregationem Generalem diei 10 novembris (1716), quod Episcopi Rutheni facultatem dispensandi a bigamia reali, quam eorum sacerdotes sive ante sive post ordinationem contraxerunt, aliquoties petierunt et obtinuerunt.

¹⁰⁵ *Lettere della S. Congr. di Prop. Fide, dell'anno 1720*, vol. 109, f. 248 v.

suffraganeos quam monachos Synodus non tangit.¹ Quatuor tantum circa eum enunciantur, scil.: *Metropolita*.

1. — Est pastor suffraganeorum curamque totius provinciae gerit. Eius est negligentes ad rectam viam cogere vel ad S. Sedem deferre.

2. — Ei onus promulgationis et vigilantiae super executione decretorum Synodaliū incumbit.

3. — Ipse Sedes episcopales suffraganeas, si quae vacaverit, per se solum vel per Episcopum viciniorem tam in spiritualibus quam in temporalibus regit. Quod decretum Capitulis cathedralibus ubique constitutis et probatis non amplius viget.

4. — Et vicissim, Sede Metropolitana vacante vicinior Episcopus ut eius regimen assumat statuitur, quod iterum ob rationem aulam non tenet.

De Episcopis (tit. 6).

1. Quinam esse possint; 2. residentia; 3. de modo tractandi cum clericis; 4. laici iurisdictionem eorum impediētes; 5. Officialis et theologus ab eis constituendi; 6. visitatio: a) normae, b) quinam ei subiaceant; 7. celebratio Synodorum dioecesanarum; 8. proto presbyteri (decani) constituendi; 9. officia divina in casu mortis R. Pontificis, Metropolitanae et Episcopi; 10. inventarium bonorum eorumque alienatio.

1. — Imprimis statuunt Patres quod nemo in posterum ad Episcopatum promoveri valet, qui prius in monasterio per annum et sex hebdomadas sub regula S. Basilii non vixerit et professionem religiosam non emisit. Hoc autem sub praetextu, ut illi qui ad praefatam dignitatem evehantur diutius probari possint.

Saeculo elapso decretum istud sat prolixa crisi a duobus historicis subiectum fuit.² Unus ipsum vim omnem amisisse, eo quod cessante legis ratione cessat lex ipsa, demonstrare conabatur,³ alter vero contra Basilianos, « Ordinem praelaticum » se nuncupantes et clerum saecularem a dignitate episcopali absolute exclusum esse asserentes, sensum eius genuinum detegere studebat.⁴ Iuxta hunc ultimum auctorem decretum conditionibus historicis temporis explicatur. Ne nempe laici, quod saepius evenit, Episcopatu auferentur, Synodus illam probationem praescripsit, quae, Seminariis pro clero saeculari deficientibus, solum in monasteriis possibilis erat. Et concludit, quod « clerus saecularis in isto decreto a dignitate episcopali exclusus non est, sed quatenus ei subiectus dispensationem petere valet ».⁵

¹ Cf. supra p. 14-16.

² M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 478-487; J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 439, 474-478.

³ M. HARASIEWICZ, p. 485, Demonstratio 3.

⁴ J. PELESZ, p. 475.

⁵ IBID.

Quid dicendum? Sensus decreti obuius hic esse videtur, quod non nisi monachi professi ad episcopatum ascendere possunt et clausula exceptionalis: « nisi a Sancta Sede dispensationem obtineat », regulam a Synodo propositam confirmat. Ceterum iam longe antea, anno nempe 1635, Metropolita Josephus Velamin Rutskyj, a rege Poloniae Vladislao IV-o privilegium obtinuit, vi cuius soli Basiliani, a Metropolita regi pro tempore praesentati, promoveri debebant.⁶ Sed quia ad Metropolitam Kijoviensem dioeceses Luceoriensis Leopoliensis et Premisliensis non pertinebant, uniformitas in negotio hoc gravissimo desiderabatur. In praefatis enim eparchiis ad electionem Episcopi clerus, nobiles et delegati confraternitatum concurrebant. Unde periodo ad Synodum sat vicina et laici haec eligebantur.⁷ E contra, in antiquitus unitis eparchiis electio semper in monachum, a Metropolita cum Episcopis, Proto Archimandrita et eius Consultoribus electum, cadebat. E studio igitur electionis modum uniformandi et privilegium Basilianorum ubique extendendi praesens decretum originem trahit.

At notandum, a Synodo Leopolitana ei expresse derogatum fuisse: ... « ob mutationem circumstantiarum cleri tam regularis, quam saecularis, declarat Synodus in fundamento dispensationis saltem tacitae huius iuris tum Metropolitae Spiridioni Litwinowicz, tum eius successoribus factae a f. r. Pio PP. IX usque ad praesens, exinde promoveri valere ad Episcopatum etiam assumptos de gremio cleri saecularis in coelibatus statu existentes, nulla amplius dispensatione petita ». (tit. 7, cap. 3, nr. 2). Quid de hac derogatione censendum?

Quamvis Synodus Leopolitana, cum tantum recognita sit, Synodo in forma specifica approbatae derogare non valeat, tamen decretum Zamostianum ob consuetudinem contrariam non amplius sustinetur.

2. — Deinde ad mentem Concilii Tridentini (Sess. 23, cap. 1: de Reform.) Episcopis residentia et quidem laboriosa in sua dioecesi, in festis autem maioribus et hebdomada sancta etiam penes cathedram praescribitur.

3. — Nunquam ad clericorum percussionem, quae statum eorum offendit, descendant, sed aliis poenis pro culpae gravitate, ut eos puniant Patres volunt; (Trid. Sess. 13, c. 1; Sess. 24, c. 8 et 12; Sess. 25, c. 14). Praeterea veritatem rei etiam in processibus non formalibus testibus fide dignis examinare tenentur.

4. — Laicos monet Synodus, ne clericis culpabilibus patrociniū praestent vel Episcoporum iurisdictionem praepediant. Qui e clero ad eos confugerit excommunicandus est.

⁶ Cfr. OSTROWSKI, *Dzieje i prawa Kościoła Polskiego*, t. III, p. 236; apud M. KOJALOWIČ, *Očerk istoriji...*, in *Christianskoje Ctenije*, 1864, I, p. 47.

⁷ Cfr. A. S. PETRUŠEVIČ, *Svodnaja Litopis... 1700-1772*, p. 5, 48-50; *Archiv Jugo Zapadnoj Rossiji*, Pars I, t. IV, n. 52.

5. — Pro faciliore negotiorum expeditione quilibet Episcopus Officialem et Theologum sibi eligere a Synodo obligatur.⁸

6. — a) Quo vero gregem suum cognoscere valeant, quotannis vel saltem unoquoque biennio Episcopi per se ipsos vel per personas delegatas dioecesim, ut visitent, inculcatur.

Synodus Leopolitana ita decretum immutat, «ut propter nimiam vastitatem Dioecesium nostrarum visitatio canonica fiat quolibet quinquennio vel per Episcopum vel per alios» (tit. 7, cap. 3, nr. 2).

In visitatione, quae celeriter facienda est, nihil praeter victum exigere vel recipere debent et hunc solum in ecclesiis locupletioribus, secus ad normam Concilii Tridentini Episcopus sub poena suspensionis a Pontificalibus, clericus adiutor sub suspensione a divinis, laicus e comitatu sub excommunicatione, ad restitutionem dupli intra mensem tenentur (Trid., Sess. 24, cap. 3: de Reform.).

Pariter, si per delegatum Episcopus visitationem peragit, in sensu Concilii Tridentini iubetur, ne ille plus quam duos domesticos et non ultra quatuor equos sumat. — Quae praescriptiones in hoc tendunt, ne ad quaestum, sed ad utilitatem dioecesis visitatio fiat. Proh dolor! e documentis, quae consultavimus, modum quo visitationes in Metropolia Kijoviensi antea peragebantur, invenire non satagemus.

b) Obnoxiae autem visitationi, semper ad normam C. Tridentini, redduntur: ecclesiae, etsi exemptae vel in manibus regularium fuerint, si curam animarum habent, oratoria publica, confraternitates, hospitalia et pia loca (Trid. Sess. 7, cap. 7, et 8: de Reform; Sess. 21, cap. 8; Sess. 25, cap. 11: de Reform). Dein eidem visitationi subiciuntur monasteria virorum in Congregationem non redacta (Trid., Sess. 25, c. 8: de Reg.) et omnia monasteria monialium, quia tunc a Regularibus non moderata. Supra iam monuimus, Basilianos in eparchiis antiquitus unitis per decretum S. Congregationis de Prop. Fide anno 1624 in Congregationem exemptam constitutos fuisse. E contra, monachi noviter conversarum dioecesium usque ad Synodum Episcopis subiacebant.

In memoriam insuper revocat Synodus Episcopis, ut occasione visitationis instrumenta foundationum et dotationum ecclesiarum examinent eaque in librum specialem referant.

Tunc temporis domini saeculares saepe bona ecclesiastica usurpabant, quod eo facilius eis erat, si instrumentis sufficientibus carebant. Decretum tamen semper est actuale et suum momentum retinet.

7. — Praeter visitationem, maxime necessariam pro renovatione disciplinae ecclesiasticae celebrationem annuam Synodi dioecesanae Patres Zamostiani reputant. Quod si nimis difficile esset quotannis omnes

⁸ In iure antiquo Officialis nomen non erat ignotum, ast a Vicario generali non distinguebatur proprie. Cfr. LEGA BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, Romae 1938, I, p. 112-113.

convocare sacerdotes, tunc permittunt, ut Episcopi, habito unoquoque anno cum parte eorum congressu, intra triennium Synodum ipsam absolvant.

Iam prius, uti in capite secundo audivimus, Episcopi Synodos annuas celebrant, at illae characterem potius formalem habebant. Haec vero pro vera reformatione instituuntur. Revera periodo post-zamositiana istae florebant et ad unionem cum Romana Ecclesia radicandam non parum contribuerunt. Auspicandum, ut denuo ille mos hodie resumatur.

8. — Ad fructum Synodorum dioecesanarum uberiolem assequendum praecipitur protopresbyteris seu decanis vigilantia super statu parochiarum ac diligens relatio de eo ad Ordinarium.

9. — Ad vinculum oboedientiae et caritatis augendum statuitur, ut nuntio de morte R. Pontificis diffuso, Episcopi exequias persolvant et pro novi Pontificis electione preces indicant. Item Episcopi pro sui Metropolitanis, parochi autem pro sui Episcopi anima orare tenentur.

10. — Ultimo, ad bona mensae episcopalis tutanda cavetur, ut mortuo Episcopo tres personae, prius e clero designatae, praesentibus quinque testibus inventarium administratori tradendum conficiant.

E historia notum est, consanguineos Episcoporum non semel bona distrahere tentasse, unde momentum decreti patet. At hodie, uti animadvertit Synodus Leopolitana (tit. 7, cap. 3, n. 3), decretum modificandum est ob constitutionem Capitulorum, in quorum statutis disponitur, ut mortuo Episcopo duo Vicarii - unus pro administratione spirituali, alter pro administratione bonorum ad mensam episcopalem spectantium - eligantur.

De Officialibus (tit. 7)

1. Quinam eligendi; 2. quot; 3. multas praeter statutas a Synodo ne imponat; 4. de appellatione ab eius sententia.

1. — E clero saeculari, si idonei inveniantur, secus e regularibus eligendus esse dicitur.

2. — Tot constituendi, quod cathedras Episcopus regit. Fere unaquaque dioecesis Metropolcos simul cum alia canonice unita tunc erat. Nunc temporis Metropolia Leopoliensis dioeceses Haliciensem et Camenecensem, dioecesis autem Peremysliensis Sanocensem et Samboriensem comprehendit.

3. — In castigandis excessibus parochorum alias multas praeter eas, quas Synodus probavit, applicare prohibetur. Quod si de gravioribus eorum delictis agatur, tunc « poenas canonicas », uti fert decretum, adhibere potest. Sub « poenis canonicis » ius poenale latinum Synodus intelligere videtur.

4. — Graviter monentur Officiales, ne libertatem appellationis ad Metropolitanam sive alium Superiorem « in causis, in quibus appellatio

de iure admittenda est », impediunt. Nihilominus in iis, quae ad observantiam decretorum huius Synodi attinent appellationem admitti non oportere statuitur. Quod ultimum, si omnia decreta respicit, nimis rigidum videtur.

De Notario et taxa episcopali (tit. 8)

1. Institutio; 2. munus; 3. taxa.

1. — Rectum dioeceseos regimen postulat, ut omnium actorum instrumenta authentica conserventur. Non in omnibus tamen Metropoleos Kijoviensis dioecibus hoc fiebat. Unde iam anno 1708 Metropolitana S. Congregationem de Prop. Fide interrogabat, an ipse suffraganeis praecipere posset, ut notarios sibi assumerent.⁹

Nunc vero Synodus quaesito illo respondet iubendo, ut unusquisque Episcopus intra duos menses a decretorum Synodali promulgatione praefatum notarium constituat, alioquin pro negligentibus Metropolitana id praestare tenetur.

2. — Ei assignant Patres, ut libros peculiare: a) professionis fidei b) ordinationum, c) visitationis et d) rescriptorum studiose asservet.

3. — Ne autem recurrentes nimis gravet, Synodus taxam conficiendam promittit, quam sub poena amotionis ab officio, restitutionis dupli et insuper quingetorum florenorum excedere vetatur.

Taxa tamen in ipsa Synodo stabilita non fuit, unde, uti in capite sequenti videbimus, approbatio Synodi non parum procrastinata fuit. Omnia statuta et hodie vigere planum est.

De Protopresbyteris sive decanis ruralibus (tit. 9).

1. Quinam; 2. munus.

1. — Pariter ac Officiales e clero saeculari eligendi sunt. Tempore tamen Synodi fere omnes Basiliani erant, quia clerus saecularis valde neglectus ab Episcopis fuit.

2. — Munus eis impositum in relatione de statu decanatus ad Episcopum consistit. Volunt ideo Patres Zamostiani, ut anno visitationem generalem Episcopi subsequenti, paroecias perlustret ac de eis, quae in apposita Instructione, a Synodo confecta, continentur inquirat.

Synodus Leopolitana decernit, ut visitatio per decanos fiat unoquoque anno (tit. 7, cap. 3; nr. 2).

De Parochis et parochiis (tit. 10).

1. Residentia; 2. libri parochiales; 3. vita privata; 4. provisio parochiarum.

⁹ Cfr. *Synodus Provincialis Ruthenorum habita... Zamosciae*, Romae 1883, ed. 3-a, p. 128-142.

1. — Apud ecclesiam, ut resideant ac divina officia, praesertim diebus festis et dominicis obeant, parochis inculcatur.

Absentiam ad tres hebdomadas apud decanum, diuturniorem autem apud Ordinarium probare tenentur. Quod statutum Synodus Leopolitana ita immutat, ut decanus nonnisi discessum ad octo dies parochi concedere valeat (tit. 8, cap. 6, nr. 6).

2. — Unusquisque eorum quatuor distinctos libros, sub poena - ut volunt Patres Zamostiani - quinquaginta florenorum habere debet: a) de statu et numero fidelium, b) baptizatorum, c) matrimoniorum et d) mortuorum.

3. — Praecipuam attentionem in hoc praebere tenentur, an fideles, ad normam Concilii Tridentini (Sess. 13, c. 9: de Euch.), confessioni et communioni paschali satisfecerint, secus renitentes ad Episcopum pro excommunicatione, ut deferant, decernitur.

Relate ad eorum vitam privatam personalem, volunt Patres ut parochi: habitu diverso a rusticis, scil. nigro utantur, a computationibus cum eisdem rusticis, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, a frequentatione mulierum et choreis abstineant, familiam instruant et filios ad sacerdotium idoneos ad Seminarium mittant. Insuper, ne artes, mercaturam et opera rusticalia exercent vel in rixas cum laicis prosiliant statuunt.

Ad haec iterum adnotare iuvat, quod Synodi tempore vita parochorum miserabilis erat, ita, ut vix a simplici populo distinguerentur. Unde et influxus huiusmodi pastorum magnus esse non potuit. Quam igitur opportuna, imo urgens reformatio erat!

4. — Relate ad ecclesias paroeciales statuitur a Synodo, ut a clero saeculari regnantur et secundo, ut non prius de parochi provideantur, quam ab iis, quorum interest, congrue dotatae et ab omni onere exemptae fuerint.

Decretum respicit illam tristem periodum, qua domini saeculares in suis fundis ecclesias sine dotatione sufficienti aperiebant et variis oneribus gravabant.

De monasteriis et statu monachorum (tit. 11).

1. Unio; 2. monasteria cum cura animarum; 3. erectio; 4. de novitiatu; 5. clausura; 6. de archimandritis.

1. — Imprimis resolvit Synodus diu vexatam quaestionem de unione monasteriorum dioecesium ucrainicarum in unam Congregationem. Post annum nempe a publicatione decretorum Metropolitani Capitulum Generale indicare debebat, ut novus Protoarchimandrita eligeretur. Mens Synodi igitur erat, ut Congregatio Basiliensis ex unione monasteriorum in dioecibus Vladimiriensi, Luceoriensi, Chelmensi, Leopoliensi et Peremysliensi erigenda omnino ab illa Lithuana inde-

pendens esset. Tamen aliter anno 1742 decisum fuit. In Congregatione enim particulari coram S. Pontifice Benedicto XIV, die 1 Maii habita, unio novae Congregationis Basilianae cum Lithuana praecepta fuit. Religiosis ita sub uno Protoarchimandrita unitis praefatus Pontifex titulum « Ordo S. Basilii Magni Ruthenorum » concessit.¹⁰

Post Poloniae dismembrationem in Imperio Russico Ordo extinctus est. Monachi autem in Metropolia Leopoliensi in Congregationem a SS.mo Redemptore redacti, crescentibus sodalibus, anno 1932 in audientia diei 24 Februarii petierunt et obtinuerunt a S. Pontifice, ut « Ordo Basilianus Sancti Josaphat » deinceps vocarentur.¹¹

2. — Ad mentem Concilii Tridentini praecipit Synodus, ut monasteria cum cura animarum sacrum chrisma ab Ordinariis locorum recipiant, secus interdictioni subiaceant.

3. — Deinde meminit ad monasteriorum erectionem consensum eorundem Ordinariorum requiri, qui illud tunc praestare valet, si de sufficienti dotatione et possessione bonorum pro duodecim religiosis alendis certo constat (Trid., Sess. 25: de Reform.).

4. — Peracto probationis tempore novitii ad professionem admittantur vel si profiteri noluerint, dimittantur oportet. Ante professionem tamen, et quidem post decimum novitiatum mensem, uti Concilium Tridentinum praescipit, de bonis disponere debent (Trid., Sess. 25, cap. 16: de Regul.). Pariter et id inculcatur, quod monachi, qui aliquid proprio labore acquisiverint, monasterio pro administratione communi tradere tenentur.

5. — Continuo in sensu Concilii Tridentini introductio mulieris intra claustra sub poena excommunicationis, S. Pontifici reservata ipsoque facto incurrenda, prohibetur, culpabilis autem huius criminis ab officio deponi et ad quodcumque inhabilis declarari iubetur.

Praeterea Ordinariis a Synodo iniungitur, ut vagos monachos ad Superiores remittant.

6. — Archimandritas autem monet, ne vestibus sericeis aut alterius coloris quam nigri utantur et ne pontificalia sine licentia Ordinarii loci extra propriam ecclesiam exercent, alioquin interdictu ab ingressu ecclesiae per tres menses interdicendi sunt.

Supra audivimus, eos a Protoarchimandritae iurisdictione expediri tentasse, at hanc quaestionem Synodus non solvit, sed ad iudicium S. Congregationis de Prop. Fide remisit.¹²

¹⁰ *Ius Pontificium de Prop. Fide*, III, p. 145 (Breve « *Inter Plures* », die 11 Maii 1744 datum).

¹¹ A. A. S., XXIV (1932), p. 239-240. Cfr. Fusius de novo Ordine apud: M. KAROVETS, O. S. B. M., *Velyka reforma Čyna Sv. Vasylija V. 1882 r., Zovkva 1933-1938*, vol. I-IV; *Apollinaris*, V. (1932), p. 405-409.

¹² Cf. supra p. 20.

De Monialibus (tit. 12).

1. Clausura; 2. novitiatus; 3. professio; 4. electio abbatissae; 5. confessarius; 6. puellae educationis causa susceptae.

1. — Monialium monasteria, uti Synodus ipsa in titulo sexto innuit, regularibus (monachis) subiecta non erant nec unam Congregationem efformabant. Tamen tam monachi quam moniales patrem suum quoad regulam vitae S. Basilium agnoscebant, inde et Basilianae vocari possunt.¹³

Ante Synodum stricta clausura non tenebantur, quapropter facilliter de uno in aliud monasterium peragrabant.¹⁴ Synodus autem vestigiis Concilii Tridentini inhaerens (Sess. 25, cap. 5: de Regul.) nulli moniali « nisi propter magnum incendium, vel infirmitatem leprae, aut epidemiae, vel etiam militarem incursum, quae tamen causae ab Ordinario loci probari debeant », extra monasterii septa exire concedit, secus excommunicationem S. Pontifici reservatam contrahere decernit.

Sed et nulli viro, nisi in casu necessitatis, confessario, medico vel alii simili ingressum intra claustrum sub eadem censura sive pro accedentibus sive pro admittentibus eos indulget. Insuper moniales personas extraneas alterius sexus admittentes officii, quae exercent, privandas et ad alia inhabiles esse Synodus declarat.

2. — Ad novitiatum puellae quindecim annos natu minores admittendae non sunt. Probationis tempore propriis sumptibus ali debent. Dotem autem assignant Patres quingentos florenos pro monialibus numeratis, pro illis extra numerum duplum eiusdem summae. Ideo volebant, ut intra annum a promulgatione decretorum Ordinarii determinarent, quot puellae e proventibus monasterii sustentari possent. Hac occasione data est etiam Ordinariis facultas tollendi monasteria minora.

3. — Professio nonnisi expleto decimo sexto aetatis anno emittenda praescribitur. Nomen professae, data, cum subscriptionibus duarum monialium tamquam testium in libro professorum referendae sunt.

At sive ad habitum sive ad professionem puella recipienda sit, praefecta monasterii duos ante menses Episcopum certiorare tenetur, ut puellae voluntatem rite explorare possit (Trid., Sess. 25 cap. 17).

4. — Abbatissarum electiones per vota secreta, statis temporibus peragendas, ab Ordinario probandas esse Synodus iubet.

¹³ Historiam et labores Basilianarum in educatione iuventutis describit SALOMIJA TSIOROH. O. S. B. M., *Pohlad na istoriju ta vychovnu dijalnist Sester Vasyljanok*, in *Opera Societatis Theologicae Ucrainorum*, vol. VII-VIII, Leopoli 1934.

¹⁴ M. KOJALOVIČ *op. c.*, in *Christianskoje Čtenije*, 1864, I, p. 434.

5. — Nulli sacerdoti sine Ordinarii approbatione confessiones monialium excipere permittitur.

6. — In fine, Synodus cavet, ut puellae, quae educationis causa a monialibus recipiuntur, cubicula a communitate monastica separata habeant.

Notandum, quod Synodus Leopolitana omnia huius tituli decreta retinet, excepto illo de summa florenorum, quam ob mutatas circumstantias ita immutat, ut « aliqua pro conditione individui, arbitrio Ordinario » exigi debeat. Praeterea adnotandum est etiam hoc, quod praeter Basilianas post Synodum Leopolitanam variae aliae Congregationes mulierum in provincia Leopoliensi ortae sunt, quae propriis reguntur statutis.¹⁵

De ecclesiis earumque bonis (tit. 13).

1. Custodia; 2. locatio-alienatio bonorum.

1. — Inter varios abusos, qui ante Synodum notabantur, et illi erant, quod in pluribus locis valde neglectae et prorsus indecentes ecclesiae inveniebantur.

Unde Synodus ante omnia ipsis clericis inhibet, ne in ecclesiis res a cultu alienas reponant et deinde, ut nitorem suppellectilis curent duoque inventaria eius conscribant, quorum unum Episcopo mittendum est.

2. — Porro, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, quam libet alienationem bonorum Synodus vetat. Quoad locationem statuit, ut ad praecavendum praeiudicium successorum parochi nonnisi pro uno anno pretium locationis accipiant, aliter omnes anticipatae solutiones irritae habendae sunt.

De simonia (tit. 14).

Abusus iste una e praecipuis causis convocationis Synodi fuit. Omne igitur studium adhibitum est, ut sive apud Episcopos sive clerum inferiorem extirparetur.

En quae ad rem Patres statuunt: *Episcopi* nihil ab ordinandis sive directe sive indirecte sub excommunicatione S. Pontifici reservata ipsoque facto incurrenda exigere possunt (Trid., Sess. 21 cap. 1: de Reform.) Item et pro antimoniis et sacris oleis sub gravioribus adhuc poenis, scil. depositionis et excommunicationis quidquam requirere prohibentur. Ne autem honesta sustentatione priventur, subsidium charitativum seu cathedraticum eis conceditur.

¹⁵ Cfr. *Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei Fedeli di Rito Orientale*, Tipografia Polyglotta Vaticana 1932, p. 395-404.

Imo, ipsam simoniae suspicionem in posterum remove re studens, praecipit Synodus, ut ordinandi in Episcopos iurent « se nullum premium pro sacris ordinationibus aliorumque Sacrorum distributione accepturos, sed in omnibus praesenti synodali constitutioni satisfacturos » esse.

Similiter et parochis pro Sacramentorum administratione, sub excommunicatione et amotione a beneficio, quidquam peti inhibetur. Ordinandis autem in presbyteros iuramentum praescribitur, quod nihil pro praesentatione patrono obtulerint vel ullam pactionem de fructibus terrae cedendis fecerint.

Tandem et in patronos poena excommunicationis ipso facto incurrendae pro exactione titulo praesentationis statuitur.

De studiis instaurandis et Seminariis (tit. 15).

Praeter abusu exstirpationem, scopus Synodi erat, ut cleri culturam elevaret. Et revera, si non multum, saltem bonum initium huic operi ipsa iecit. Singuli enim Episcopi aliquot alumnos ad Pontificium Collegium Leopoliense vel ad monasteria pro instructione mittere promiserunt.

Notare iuvat, quod Collegium Leopoliense secunda medietate saeculi XVII pro Armenis, qui tunc ad fidem catholicam conversi sunt, fundatum, directioni clericorum regularium Theatinorum commissum fuit. Cum anno 1700 dioecesis Leopoliensis ucrainorum unionem cum Ecclesia Romana acceptasset, quaestio formationis adaequatae iuvenis cleri pro ea urgens evasit. Nuntius Pignatelli S. Congregationi de Propaganda Fide, die 16 Octobris 1701, suggerebat, ut pariter pro ucrainis Seminarium aperiretur.¹⁶ Tamen non statim consilium hoc in vitam deductum erat. Solummodo die 2 Junii 1704 Congregatio erectionem Seminarii Rutheni, uti dicebatur, decrevit, in quem scopum Nuntius Pignatelli duo millia florenorum et Congregatio septingentos quinquaginta scutos Romanos obtulerunt.¹⁷

Qua summa domus parva ab Episcopo Szumlanskyj empta fuit. Sed ipsa nec ad Seminarium conveniens erat, nec ex fructibus eius alumni sustentari valebant. Tunc anno 1708 Congregatio statuit, ut alumni ucrainici apud Pontificium Collegium Armenum reciperentur et octoginta scutos annui subsidii pro eis praebere promisit.¹⁸ Usque ad Synodum, uti ex relatione Patrum Theatinorum constat, tres sacerdotes cursum philosophicum et theologicum ibi compleverunt.¹⁹

¹⁶ *Arch.*, vol. 3, f. 107-108.

¹⁷ Istos 756 scutos Congregationi ex-alumnus Basilius Sceriman pro sua in Collegio Urbaniano educatione restituit. Cfr. *Atti della S. Congr. di Prop. Fide del'anno 1715*, f. 37.

¹⁸ De historia Collegii plura in *Arch.*, vol. 64.

¹⁹ *IBID*, f. 82-83.

Anno autem 1712 Episcopus Peremysliensis, etiam apud suam cathedram Seminarium fundare optans, quadraginta millia florenorum in bonis familiaribus hypothecatorum, legavit, hac tamen sub conditione, ut directores Seminarii Patres Basiliani essent.²⁰ E contra Congregatio de Prop. Fide litteris, die 8 Maii 1713 datis, cum adhuc Episcopus Georgius (Wynnytskyj) in vivis esset, ei consulebat, ut foundationem suam cum Seminario Leopoliensi uniret. Sed ipse voluntatem suam non mutavit.²¹

Per diversos annos tam Basiliani quam Theatini foundationem sibi vindicabant, quamvis Basiliani soli in iure essent. Cum tandem Theatini Congregationi denuntiassent, quod legatarii defuncti Episcopi ipsis, non vero Basilianis, summam solvere cupiunt, die 28 Februarii 1720 decretum fuit, ut legatum illud pro augmento Seminarii Leopoliensis applicaretur. Ast usque ad Synodum executio huius decreti differebatur, nam et Metropolitanae Leoni non valde acceptum erat, quod Basiliani exclusi erant.²²

Nunc autem Synodus declarat, quod ipsa « approbat et confirmat cessionem quadraginta millium florenorum iuriumque omnium inde provenientium... factam a... Protoarchimandrita et Consultorio Ordinis Divi Basilii Magni... ». Ast, uti diximus, quaestio iam ante Synodum praeiudicata erat.

Deinde, ut pueri a tenera aetate in mysteriis fidei edoceri possent, Synodus Episcopis restorationem scholarum paroecialium, si quae collapsae fuerint, iniunxit. Praeterea laudat Synodus Metropolitanam, quod apud suam cathedram Seminarium aperuit eique nonaginta millia florenorum inscripsit.

Evidenter omnia ista decreta necessitatibus illius temporis accommodata fuerunt, tamen necessarium erat, ut ea commemoraremus ad plenam magnae renovationis, quam Synodus in Ecclesia Ucrainica attulit, cognitionem.

* * *

Breves tituli sequentes agunt: *de ieiuniis et festis* (tit. 16), ubi dies festivi, de praecepto, enumerantur, *de reliquiis, miraculis ac veneratione sanctorum* (tit. 17), ubi Episcopis inquisitio de authenticitate reliquiarum praecipitur et cultus haeresiarchae Palamae, cuius nomen in libris liturgicis occurrebat, prohibetur, *de pensionibus pro deputatis ad Tribunal Regni*, ubi summa in actis Synodi a singulis dioecesibus pro

²⁰ A. S. PETRUŠEVYČ, *op. c.*, p. 64-65.

²¹ Ep. WYNNYTSKYJ die 22 septembris 1713 e vivis sublatus est.

²² Cf. *Arch...*, *loc. c.*

isto scopo determinata imponitur, et in fine *de synodatibus constitutionibus* (tit. 19), ubi Patres voluerunt, ut decreta Synodi in conventibus dioecesanis legerentur ac promulgarentur intra tres menses a die, quo valvis ecclesiae metropolitanae affixa fuerint.

Quibus expositis, quid de decretis omnibus S. Congregatio de Prop. Fide edixerit, audiamus in capite quarto oportet.



CAPUT QUARTUM
VICISSITUDINES ET FORMA APPROBATIONIS SYNODI
ZAMOSTIANAE

Plura, uti in praecedentibus vidimus, a Synodo decreta fuerunt, quae non modo ad disciplinam particularem, sed etiam ad consuetudines Ecclesiae Orientalis generales sese referunt.

Haec omnia non statim in vitam deduci valebant, nam vi Brevis Clementis XI « *Cum sicut accepimus* » (20 Martii 1716), quo Nuntius Grimaldi in praesidentem Synodi deputabatur, decreta, statuta et ordinationes tamdiu in suspenso remanere debebant, donec a S. Congregatione Propagandae Fidei examinata et approbata non essent.¹

Quapropter summae utilitatis erit considerare, quomodo decreta praedicta Romae excepta et commentata fuerint, eo vel magis, quod non desunt, qui asserant non omnia pontificia approbatione gaudere.

In praesenti igitur capite de historia et forma approbationis nostrae Synodi per se agendum esset, ast ad meliorem rei intelligentiam articulum de valore approbationis Concilii in genere praemittere necessarium putavimus.

Art. I. - De necessitate ac vi approbationis Concilii provincialis.

Eodem tempore ac constitutio Ecclesiae metropolitana evolvi coepit, prima Concilia in Ecclesia celebrari consueverunt. Apostoli primum in civitatibus eminentioribus, ubi Judaei sua templa habebant, praedicabant, (Act. 9,30; 17,1; 18,1; 19,1). Ex civitatibus religio christiana in pagos vicinos et suburbia diffundebatur. Ecclesiae istae minores vinculum communionis subiectionisque erga ecclesiam civitatis principalis conservabant.

Cum paulatim simul cum sana doctrina errores in provincia serpi viderentur, ab Episcopo civitatis-principis seu metropolita conventus Praesulum ecclesiasticorum indicebantur, ut communi consilio operaque facilius profligarentur. Si tandem res tanti momenti erat, ut universam Ecclesiam exagitaret, non modo Episcopi unius provinciae, sed

¹ *Coll. Lac.*, II, 18b.

e toto orbe, auspice Romano Pontifice, congregabantur ad inimicos fidei segregandos, pacem restaurandam et disciplinam renovandam.

Exinde Concilia in oecumenica, plenaria (respective patriarchalia vel nationalia nuncupata), provincialia et dioecesana distinguimus, prout de conventu Episcoporum universae Ecclesiae, patriarchatus, nationis, provinciae vel dioecesis agitur.

Praeter memorata in historia Ecclesiae Concilia generalia, Concilia Episcoporum plurium provinciarum, Concilia mixta et sic dictae « synodoi endemousai » occurrunt. Generalia illa dicebantur, quibus vel soli Episcopi Ecclesiae Orientalis (puta Constantinopolitanum primum) vel soli Episcopi Ecclesiae Latinae interfuerunt. Concilia mixta illa erant in quibus proceres ecclesiastici et profani alicuius Regni res Ecclesiae et Regni simul perpendebant. Horum plura exempla sub Carolo Magno extant.¹ « Synodoi endemousai » Constantinopoli efformatae sunt, ubi patriarcha Episcopus in civitate praesentes (« endemountes ») ad consilium in rebus arduis decidendis advocabat.¹

Nullum dubium est, quin Concilia oecumenica illa tantum sint, quae ut talia Romanus Pontifex agnoverit. At quaestio moveri potest utrum et Concilia Provincialia a pontificia approbatione vim obligatoriam sortiuntur. Canones antiqui saepius de celebratione Conciliorum Provincialium loquuntur; Concilium Nicaenum I in can. 5^o bis in anno, ad quadragesimae nempe tempus, et in autumno ea celebranda voluit. Eandem rem canones Antiocheni 20-us, Apostolorum 38, Chalcedonensis 19-us urgent. A saeculo sexto dicta Concilia una vice in anno convocari debebant (Conc. Agath. can. 71; Aurel. II, can. 2; Aurel. III, can. 1; Aurel. IV can. 37; Aurel. V, can. 23; Elus., can. 7; Turon. II, can. 1).

Si igitur ex iuris praescripto frequens Conciliorum Provincialium adunatio commendata erat, assensus R. Pontificis neque ad eorum convocationem neque ad decretorum obligationem necessarius fuisse videretur.

Gratianus in duabus primae partis distinctionibus quaestionem proponit: In 17-a scribit: Absque Romani Pontificis auctoritate synodum quibuscunque congregare non licet. Non est ratum Concilium quod auctoritate Romanae Ecclesiae fulcitum non sit, non est Concilium, sed conventiculum, quod sine Sedis Apostolicae auctoritate celebratur, Provincialia Concilia sine Romani Pontificis praesentia pondere

¹ HEFELE-LECLERCQ, *Histoire de Conciles*, Paris 1907 sq., I, 58; F. X. WERNZ, S. J., *Jus Decretalium*, 3, Prati 1915 sq., II, 716-760; B. KURTSCHIED, O. F. M., *Historia iuris canonici* (Historia Institutorum), Romae 1941, 41-45, 140-150. L. THOMASSINUS, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios*, Parisiis 1688, P. II, L. III, c. 43 sq.; BELLARMINUS, *De Conciliis et Ecclesia*, Parisiis 1613, 1. 2, c. 5; L. THOMASSINUS, *Dissertationum in Concilia generalia et particularia*, t. I, Parisiis 1667.

carebunt. Tamen in distinctione successiva (18-a) rigorem verborum attenuat et, primo obtutu aliquid omnino contrarium enunciat: Episcoporum igitur Concilia (ut ex praemissis apparet) sunt invalida ad definiendum et ad constituendum, non autem ad corrigendum. Post quae statim canones de annua Conciliorum celebratione affert.

Unde, oportet dicamus, ipsum Concilia Provincialia in illa, quae scopum habebant « definiendum et constituendum » et alia, quae aliquid « corrigendum » sibi proponebant, divisit. Prima, quae novam disciplinam introducere volebant, ex Gratiani mente, praeter R. Pontificis assensum nec celebrari nec in vitam deduci poterant, altera vero, quae nonnisi iuris statuti applicationem urgebant libere, sine recurso ad oraculum pontificium, indici valebant.

Alii canonistae effatum medioevale: « non posse praeter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari », ad sola Concilia Generalia restrinxerunt.

De facto usque ad saeculum XVII, canonem, qui statueret Concilia Provincialia auctoritate Pontificis convocanda vel eorum decreta ante executionem revisioni submitienda esse, non possidemus.

Nihilominus saepius, citra obligationem, numerosa Concilia sua statuta iudicio R. Pontificis substernebant. Hoc valet praesertim de illis, in quibus res fidei discutiebantur.² En quomodo Patres Concilii Carthaginensis (an. 416), in quo errores Pelagii et Coelestini proscripti erant, Innocentio I communicant: « Hoc itaque gestum, Domine Frater, sanctae charitati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas ».³ Similiter et Patres Concilii Milevitani eodem anno decreta sua examini subicientes scribunt: « Quia te Dominus gratiae suae praecipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus praestitit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam venerationem, quae pro Ecclesia sunt suggerenda tacuerimus ».⁴ Pontifex praedictos Patres laudat ac quare his in adiunctis recurrendum sit explicat. « Praesertim vero quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, et Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis, et honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum Mundum possit Eccelsiis omnibus in commune prodesse ».⁵

Aliquando Romani Pontifices ad instantiam partium in rebus Conciliorum Provincialium interveniebant, ut eorum iniustitias repararent. Ita Julius I-us S. Athanasium et Paulum Patriarcham Constanti-

² BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecessana*, L. XIII, 2.

³ HARDUIN, I, 1214.

⁴ IBID., 1221.

⁵ P. COUSTANT, *Epist. Roman. Pontifi.*, I, 896.

nopolitanum, ab Arianis in Conciliis depositos, Sedibus suis restituit.⁶ Deinde S. Flavianus, pariter patriarcha Constantinopolitanus, et Theodoretus, Episcopus Cyrensis, a Concilio Ephesino II (latrocinio dicto) ad Leonem I-um appellarunt,⁷ uti et Joannes Chrysostomus, a Concilio ad Quercum depositus, apud Innocentium I-um satisfactionem quaesivit.⁸

Tamen solummodo a Concilio Tridentino mos omnia Concilia Provincialia, sine respectu ad eorum characterem dogmaticum vel disciplinarem, revisioni subiciendi obtinuit. Ita Concilia Provincialia Valentini (an. 1565), Toletani (an. 1582), Mexicanum (an. 1585), Concilia Mediolanensa sub Carol Borromaeo (ann. 1565, 1569, 1573, 1576, 1579, 1582) etc. a Congregatione Concilii recognita et emendata sunt. Imo, in Januensi 14 Junii 1573, Congregatio Concilii declaravit, decreta in Conciliis Provincialibus condita, inconsulto Romano Pontifice, publicari non debere.

Denique id quod iam in usu erat vigorem legis generalis scriptae per Constitutionem Sixti V-i « *Immensae aeterni* » (22 Januarii 1587) sortitum est.

Statuit enim praefata Constitutio, ut decreta Conciliorum Provincialium ad Congregationem Concilii transmitterentur, quae singula expendere et recognoscere curabit. « Provincialium vero, ubivis terrarum illae celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendat et recognoscet ». Scopus igitur transmissionis actorum non est, ut « confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur ».⁹

Quae decretorum correctiones sive ad nutum Congregationis Concilii, sive ita rogantibus Episcopis saepe saepius evenerunt. En aliqua exempla: Gregorius XIII ad Episcopos Concilii Remensis (1583) scribit: « Mandavimus decreta synodi... per... cardinales super dubiis in materia Concilii Tridentini occurrentibus deputatos diligenter cognosci atque ubi opus esset emendari. Remittimus nunc tibi eum librum emendatum ».¹⁰ Archiepiscopus Turonensis acta Concilii anni 1583 porrigendo rogat: « ... tuae erit sanctitatis... interponere auctoritatem, ut quae tibi videbuntur recta, approbatione tua sancias; quae secus, obli-

⁶ SOZOMENUS, *Hist. Eccles.*, L. III, 8.

⁷ S. LEO., *Epist.* 25.

⁸ GELAS., *Epist. ad Episc. Dard.*; Cfr. F. L. FERRARIENSIS, *Bibliotheca Canonica*, Romae 1885 sq., II, 429.

⁹ BENEDICTUS XIV, *op. c.*, L. XIII; 3, 3.

¹⁰ HARDUIN, X, 1305. Martinus IV corrigere iussit canones 7-9 Concilii Turonensis (1282), quibus magistratus laici clericos opprimentes excommunicatione plectebantur: « ... statuta huiusmodi... prudenter corrigas, immutes, emendes, temperes, modereris et reformes »; MANSI, XXIV, 474.

teres, expungas et... sacratoria et meliora proferas». ¹¹ Episcopi vero Concilii Burdegalensis (1582) ostendunt: « S. Romanae ecclesiae auctoritati et iudicio... decreta... perpetuo emendanda et corrigenda subiicimus ». ¹² Tempore recentiore eodem in sensu Episcopi Concilii Baltimorensis (an. 1849) scribunt: « quae ergo decrevimus, tibi et tuo iudicio subiicimus, tu quae in eis recta sunt confirmes, quae deficiunt suppleas, si quae minus accurate ad canonum normam proposita, corrigas ». ¹³

Examine actorum expleto Congregatio Concilii, deinde vero Congregatio de Propaganda Fide, si de locis missionum agebatur, decretum recognitionis, quo terminis genericis laudabantur vel si opus erat castigabantur resolutiones sumptae, emittere solebat. Raro et unice Episcopis ita petentibus Concilia aliqua approbata fuere.

Ad nostra tempora ex Conciliis Ecclesiae Latinae litteris in forma Brevis confirmatis extant Concilium 4-um et 5-um Medionalense sub Carolo Borromaeo, ¹⁴ Mechlinense, ¹⁵ Beneventanum (ann. 1693 et 1698), ¹⁶ Avenionense (an. 1725), ¹⁷ Ebredunense (an. 1727). ¹⁸ Ex orientalibus tali modo confirmata sunt Concilia Kobrynense, ¹⁹ Zamostianum, ²⁰ et Libanense. ²¹

Codex Iuris Canonici normam Sixtinam non immutavit, quando in can. 291; 1, statuit: « Absoluto Concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittat, nec eadem antea promulgentur, quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint ». Ante approbationem igitur vis obligatoria decretorum Concilii Provincialis, inde a tempore, quo ea in universa Ecclesia practicari coepit, suspensa manet.

Quibus praemissis, ad nostram Synodum Zamostianam revertamur.

Art. 2. - Vicissitudines approbationis Synodi Zamostianae.

Eodem die ac ultima Synodi Sessio, 17 Septembris 1720, absoluta fuit, Episcopi cum Metropolita ad Pontificem et Congregationis de Pro-

¹¹ HARDUIN, X, 1451.

¹² Cfr. M. D. BOUX, *Du Concil Provincial*, Paris 1850, p. 387, 377-401. Auctor plura Concilia Gallica recenset.

¹³ *Coll. Lac.*, III, 118. Alia exempla *IBID.* III, 1, 21, 92; IV, 33, 243, 249, 456, 646; V, 225, 266, 407, 608 etc.

¹⁴ GIUISANUS, *Vita S. Caroli Borromaei*, L. VI, 2.

¹⁵ HARDUIN, X, 1969.

¹⁶ *Coll. Lac.*, I, 110, 128.

¹⁷ *IBID.*, I, 586.

¹⁸ *IBID.*, I, 727.

¹⁹ I. KULCZYNSKI, *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Parisiis 1859, pag. 215

²⁰ *Coll. Lac.*, II, 2.

²¹ *IBID.*, II, 488.

paganda Fide Cardinales litteras scripserunt, quibus meritas tribuunt grates pro opere a Nuntio-Praeside praestato apostolicamque decretorum approbationem enixe regant. Quia non omnia dubia et quaestiones in Synodo soluta erant, harum praecipua puncta Congregationi pro resolutione simul cum memoratis litteris transmiserunt.

Nuntius pro officii sui munere item Secretariam Status et Congregationem de felici Synodi exitu certiozem reddidit, actaque, postquam ea transcripserit, per postam suam ordinariam, de die 23 Octobris, Romam transmisit.¹

Secretarius Status negotium revisionis actorum Congregationi de Propaganda Fide sine mora commisit.²

Magno cum jubilo decreta a Congregatione excepta fuerunt, quae litteris de die 14 Decembris congratulationes ob dispositiones in Synodo contentas Nuntio manifestare iussit. Episcopi cum Metropolita ab eodem Nuntio certiorandi erant se examine maturo actorum expleto, determinationes Cardinalium recepturos esse.³

Interea acta synodalia consultoribus Congregationis pro studio tradita sunt. Tres ex eis votum commune, quartus vero separatim suum de Synodo iudicium proferre debuerunt. Hic ultimus, qui fuit Thomas Studendoli, Ord. Min., in Collegio Urbaniano de Propaganda Fide S. Theologiae magister, viginti octo observationes, quibus vel errores vel inexactitudines vel expressiones minus convenientes, a Synodo usitatas, notavit. Ceteri tres, pariter in Collegio Urbaniano magistri, alias octo reflexiones fecerunt.⁴

Ex tot censuris aliae identicae ac super iisdem decretis cadentes, aliae vero unicuique voto propriae erant.

Sed primae potius ad maiorem perfectionem stylisticam, non vero ad errores reales se referebant, unde non est, ut de eis disseramus. Longe graviores illae, quae ab utraque consultorum classe notatae fuerunt.

In titulo primo: de Fide Catholica.

Synodus decrevit, ut deinceps sive in impressione librorum liturgicorum sive in recitatione privata symbolum fidei cum particula « Filioque » proferretur. Omnes censores momentum rei perceperunt ideoque magnam cautelam commendarunt.

¹ NUNZ. DI POL., vol. 190, f. 301; Arch..., vol. 109, f. 475-476.

² NUNZ. DI POL., vol. 190, f. 302.

³ Arch..., vol. 109, f.

⁴ Horum nomina sunt: B. Balthassar a S. Philippo Nerio, Theologiae Polemicae Lector, Caietanus Corazza, Clericorum Minorum, Theologiae Moralis Lector, et Franciscus Zavarroni, Ordinis Minimorum, Philosophiae Lector; Cf. Arch..., vol. 64, f. 377.

« Sicubi - scribit Studendoli - per Russiam antehac vel in impressionibus, vel in recitatione Symboli praefata particula inserebatur, et inde sublata fuit, nihil sanctius, quam praeceptum istud. At si inerspositio eius vocis nunquam extitit, meretur perpendi, an nunc esset a tali praecepto abstinendum, relinquendo graecis id quod in Concilio Florentino Patriarchae Constantinopolitano, Imperatori, et aliis id petendibus permissum est, credito scilicet dogmate de Processione Spiritus Sancti, particulam inserere symbolo non teneri, ne dogmate ipso definito, et in tuto posito, propter solum externum vocabulum, unionis negotium perturbaretur, et tunc, atque imposterum impediretur ».⁵

Adhuc vividius reliqui tres censores se expresserunt: « Cavendum videtur, ne ceteris Orientalibus praebeatur causa scandali. Hactenus enim Ecclesiae Romanae suffecit quo Catholici, qui Graeci ritus sunt, hanc processionem agnoscant, et credant, quamquam particulam Filioque graeco suo symbolo non inserant.

« Dum enim in Concilio Florentino Patriarcha Constantinopolitanus tandem profiteretur Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, protestatus fuit ne id Ecclesiae Orientalis Symbolo adiceretur, neve eiusdem Ecclesiae ritus convellerentur, sed unio fieret illis salvis. Idem quoque in sua declaratione finali asseruit Joannes Palaeologus, Graecorum Imperator, et in eandem sententiam iverunt ceteri Patres Graeci, qui Concilio interfuerunt, inter quos fuit Leonis Kiiskae hodierni Archiepiscopi Metropolitanus Kioviensis Praedecessor, qui decreto unionis inter Graecos subscripsit, quartus in ordine, Isidorus, Metropolita Kioviensis totiusque Russiae »; Sed quid agendum cum nostro decreto?

« Verumtamen quoniam nunc Synodus totius Nationis hanc mutationem, quae de se bona, et sancta est, suscipiat, sua sponte, non videtur rejicienda, dummodo in Synodi confirmatione addatur clausula, quod approbetur quidem recta Synodi intentio, qua non tantum declarat, se circa processionem Spiritus Sancti a Patre, Filioque, cum Ecclesia Romana, sicut oportet, convenire in dogmate, verum etiam constituit concordiam in hoc ritu, inserendo vocem Filioque in ipso Symbolo; non intendentes tamen per hoc alios, qui de graeco ritu sunt ad id constringere, dummodo veritatem dogmatis profiteantur ».

« Conveniret praeterea ut ad majorem cautelam pro memoratis vocibus, quibus haec Synodus dicit,... potius verbis formalibus in Florentini Concilii Decreto unionis mox relatis... « Definimus insuper, explanationem verborum illorum « Filioque » veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam ».⁶

⁵ Arch..., loc. c., f. 381-382.

⁶ Arch..., loc. c., f. 375. Cfr. DB, 692.

In titulo tertio, in paragrapho: de Baptismo.

A Synodo consuetudo linguam infantium e sacro lavacro susceptorum intingendi sublata fuit. Et ecce denuo omnes consultores attente hanc dispositionem considerarunt. P. Studenloli observavit, Concilium Tridentinum solummodo sancte docuisse parvulos usu rationis carentes ad communionem non ligari deque consuetudine, olim etiam in Ecclesia Latina vigenti, « ponderatissima cautione » locutum fuisse, nihil addendo de ea tollenda. Optaret igitur, ut etiam Synodus Zamoscensis a prohibitione abstineret et solummodo usum contrarium laudaret.⁸

In voto trium super eadem re legitur: « Magna res est decretum condere de tollenda consuetudine antiquissima, et hactenus in Ecclesia Orientali retenta per Sedem Apostolicam tolerata, et quasi permissa, et in nonnullis partibus mutari vetita. Clausulam addunt moderatam, dummodo sine scandalo fieri possit. Verumtamen hic colligitur, quod de successu dubitent. Laudandum est quod intendunt, sed cavendum a scandalis. Quare et in hujus Synodi approbatione videtur consulendum, ut addatur clausula, *non intendentes tamen alios in aliis Regionibus constitutos, qui de ritu graeco sunt, ad tollendam antiquissimam istam infantium recens baptizatorum linguam Christi sanguine intingendi consuetudinem obligare* ».⁹

In paragrapho: de Eucharistia.

Ubi pueri, usu rationis expertes a sacra communione, si modo scandalii occasio abesset, arcendi sunt dicitur,¹⁰ eandem clausulam, scilicet « non intendentes... » apponendam proposuerunt.¹¹

Pari cum moderatione in decreto aquae calidae affusionem post consecrationem prohibitive procedendum esse P. Studenloli suggererat eo vel magis, quod hanc cerimoniam nedum auctores schismatici, sed etiam catholici probant, « unde bene perpendi meretur, an gravis sit causa usus istius abrogandi; quae quidem si extet, et gravis sit, meretur indicari, tum ad instructionem, tum ad maiorem soliditatem prohibitionis, et ad sollicitudinem ingerendam, ut prohibitio observetur, ac observari fiat ».¹²

Tamen iterum in paragrapho: de Baptismo.

Notaverunt omnes consultores, ut in illa forma praescripta: « Si

⁸ *Coll. Lac.*, II, 29 a.

⁹ *Arch.*, loc. c., f. 383 v.

¹⁰ *Ibid.*, f. 376; « Sublineatio », si ita fas sit loqui, a censoribus apposita fuit.

¹¹ *Coll. Lac.*, II, 30 d.

¹² *Arch.*, vol. 64, f. 376.

¹³ *Ibid.*, f. 384 v.

est baptizatus servus Dei N. iterum non baptizetur, et si nondum est baptizatus baptizetur, etc. »,¹³ in casu repetitionis iustius Sacramenti modus potius indicativus, loco coniunctivi, adhiberetur. Sed subiungunt: « Si tamen Rutheni persistent, non sunt cogendi; tum quia Sacra Congregatio de Propaganda Fide die 4 Julij 1633, referente Cardinale Ubaldino, censuit similem formam deprecativam valere; tum quia Eugenius IV, in praefato decreto, utramque formam approbavit, tum denique quia Doctor Angelicus 3p. q. 66 art. 5, ad primum, laudat originem, qua Graeci caeperunt hac forma uti... ».¹⁴ Studendoli autem voluit, praeterea, ut in dicta forma aliqua verba omitterentur, quia superflua, dicereturque: « Si nondum servus Dei N. est baptizatus, baptizetur, vel *baptizatur*; quorum secundum indicativi modi melius est adhibere... ».¹⁵

Uti iam sufficienter patere videtur, a consultoribus vera studia super Synodum confecta fuerunt. At simul negotium approbationis procrastinabatur. Annus enim a Synodi celebratione elapsus erat, sed tam expectata confirmatio non perveniebat. Tunc Metropolita, cum aliquibus Episcopis, suspicari coeperunt, an huic dilationi molimina Patrum Basilianorum Lithuanorum apud Congregationem causam non dederint. Quod sentiebant, candide in litteris die 4 Octobris 1721 de Vladimiria ad Cardinalem Congregationis Propagandae Praefectum exposuerunt, his verbis.

« Summo desiderio, in hucusque expectantes negotium Provincialis Synodi nostrae Ruthenae, Apostolica Benedictione roborandum, sumus informati, quasi contra aliqua statuta debeat moliri quisquam in Urbe, neque devenire possumus, quidnam sit illud, nisi quod nos Episcopi cedendo Juri nostro in Monasteria Dioecesana, permisimus Provinciam Ruthenam in Regno Poloniae formari et a Lythuanana distingui, certe omnium voto, et omnium assensu ob meliorem ordinem et multas adductas in Synodo rationes, sancitum, ac iudicio Eminen... subiectum desiderium, nescimus cur deberet vocari in dubium, cum Lythuanus Provincialis unus, ad tam amplas Regiones, et ad Monasteria remota neque post quadriennium descendere, vel recurrentibus ad se opitulari, vel quoquo modo prodesse valuerit ».

Secunda autem, quam suspicantur, oppositionis Basilianorum ratio est haec, quod dissensione de praecedentia inter Provincialem, simplicem Religiosum et Abbates « Infulatos et advitales » dictos orta, ipsi in congressu decreverunt Abbates immediate post Episcopos incedere valere. Quae rationes approbationi Synodi obstare non deberent ideoque in fine epistulae Cardinali supplicant, ut contradictionibus Pro-

¹³ *Coll. Lac.*, II, 27, d.

¹⁴ *Arch.*..., loc. c., f. 376.

¹⁵ *IBID.*, f. 383.

curatoris Basilianorum in Urbe despectis, ad approbationem praefatam deveniat.¹⁶

Revera Episcoporum assertiones gratuitae non erant. In epistula die 24 Januarii 1722 Antonius Zawadzki, Protoarchimandrita Basilianorum, cum suis consultoribus scribebat: « Quatenus sive in Decretis sive in Desideriis Sanctae Synodi, Vestrae Beatitudinis Oraculo subjectis, dicta Congregatio Monachorum, quae post instauratam S. Unionem in Russia, primo genita est, et succrescentem tunc inter spinas et urticas Schismatis Unionem Sanctam crevisse, et crescere non sudoribus tantum, sed et sanguine rigando fecit, et indies facit, circa sua, sibi a Sanctissimis Vestrae Beatitudinis Praedecessoribus gratiose collata Privilegia et gratias integre conservetur... ».¹⁷

At Basilianorum Lithuanorum oppositio in Synodi confirmationem influxum non exercuit. Causa dilationis genuina in eo sita erat, quod Congregatio in re nostra lento pede procedebat. Vota enim a censoribus praeparata respective datam 11 (trium c.) et 21 Martii (Patris Studendoli) an. 1722 ferunt. Sed neque nunc quaestio iudicio Cardinalium tradita esse potuit, ob tot difficultates contra Synodum a censoribus notatas. Prius quam sollemne emittere decretum, Congregatio alios de Synodo viros consulere opportunum censuit. Quapropter Acta Synodi simul cum votis praedictis P. Josepho Redanaschi, Procuratori Generali Clericorum Theatinorum, et P. Laurentio a S. Laurentio pro revisione commissa sunt. Praesertim P. Redanaschi, qui praeter eruditionem cognitionem directam rerum ecclesiasticarum Ucrainae possidebat (per sex annos enim officio magistri Theologiae in Collegio Pontificio Leopoliensi fungebatur), magna consideratione a Congregatione prosequabatur.

Hic ante responsionem ad singulas praecedentium censorum difficultates tria praemisit: 1. Synodus a Nuntio, Metropolita, Episcopis et tot doctis Praelatis celebrata parum exceptionibus subiecta praesumi debet; 2. Si aliquae correctiones in ea faciendae essent, iterum convocanda foret, quod est impossibile et ita tam pulchrum opus periret; 3. Nihil mirum si aliquod punctum obscurum in Actis Synodi legitur, nam hoc semper cum unoquoque Concilio evenit, imo ad Concilium Tridentinum interpretandum speciali Congregatione opus erat.¹⁸

In genere, id quod praecedentibus nimis grave videbatur, hoc ob speciales circumstantias a Synodo statutum fuisse P. Redanaschi concorditer cum P. Laurentio dicunt. Propterea illa decreta, quibus « Fi-

¹⁶ Arch., vol. 64, f. 485. Epistulam subscripserunt Metr. Leo Kiška, Ep. Luceoricensis Josephus Wyhowskyj et Ep. Peremyliensis Hieronymus Ustrytskyj.

¹⁷ Ibid., f. 576.

¹⁸ Cfr. « *Compendio delle riflessioni, et opposizioni, che sono state fatte sopra il Sinodo Ruteno di Zamoscia assieme con le sue risposte* »; vol. 64, f. 324 sq.

lioque » introductum fuit, lingua infantium baptizatorum tingi et Eucharistia pueris, usu rationis carentibus, tradi prohibita sunt, ab istis, sine ulla praecautioe, laudibus digna aestimantur, cum tali modo Ucrainos a schismate magis abscedere censent. Deinde, relate ad abrogationem usus aquae calidae post consecrationem, eam non solum iustam sanctamque nominant, sed etiam rationes plures ac Synodus contra huiusmodi consuetudinem produciunt: 1. reverentia erga SS. Sacramentum, 2. periculum corruptionis eiusdem et 3. quia Graeci, testibus Arcudio¹⁹ et Jacobo Goario,²⁰ quibus saepius in suis responsionibus utuntur, adhibent hunc ritum ad significandum, quod post Christi mortem in cruce eius Divinitas corpori et sanguini unita remanserit.²¹

Deinde expressiones aliquae, vel integrae propositiones, quae a praecedentibus consultoribus uti defectuosae notabantur, secundum istos tales non reputantur, quia vel sensu lato sumi debent, vel si contextus dispositionis synodalis inspiciatur, desiderii eorum non remanet locus. Ita, ut aliquid tantum referamus, secundum hos novos consultores Synodus lato sensu de forma Eucharistiae et Poenitentiae egit uniceque quid de integritate utriusque formae pronuntiari debet stabilire sollicita erat. Ceterum animadvertunt, false a Patre Studendoli assertum fuisse de essentia formae poenitentiae solummodo verba « ego te absolvo » sufficere.

Superfluum vero putant esse initio paragraphi de Eucharistia adiungere, quod etiam in azyino valide hoc Sacramentum confici potest, quia paulum infra in paragrapho de celebratione Missarum eandem rem Synodus expresse profitetur. Agnoscunt autem nomen haeresiarchae Palamac erronee Georgius loco Gregorius versum fuisse, at correctionis nulla necessitas, quia de quem agitur sufficienter constat.

His et similibus responsionibus novi censors difficultatibus praecedentium satisfaciunt concluduntque, quod Synodus confirmari debet « ne maius malum quam bonum ex confirmationis denegatione eveniat ».

Post tantum Actorum examen quaestio approbationis iudicio Cardinalium definitivo in Congregatione Particulari die 15 Maji an. 1722 praesentata fuit. Referebat Card. Nicolaus Spinola, olim Nuntius Apostolicus in Polonia. Auditis in compendio omnibus votis, Cardinales aequum putabant, ut Synodus per Breve Pontificium confirmaretur, addita tamen in eo clausula, « quod per Apostolicam praefatae Synodi confirmationem nihil derogandum esse censeatur constitutionibus SS. Pontificum et decretis Conciliorum generalium emanatis super ri-

¹⁹ *De Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*, in lib. de Eucharistia, c. 39.

²⁰ *Euchologium Graecorum*, in notis ad hunc ritum.

²¹ Balsamon in responsione 18-a ad Marcum Patriarcham, Simon Thessalonicensis et alii apud Arcudium.

tibus Graecorum, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore debeant permanere ».²²

Die 23 Maji (1722) Secretarius Propagandae Nuntio Santini in Polonia scripsit, ut Metropolitam ceterosque Episcopos de approbatione certiores redderet. Formulam autem magis propriam approbationis formalis ei quam citius transmittere promittebat.²³

Sed interea dubium exortum est, an Conciliorum Provincialium approbatio ad S. Congregationem Concilii privative pertineret. Auditis iterum Cardinalibus et Patre Redanaschi, Acta Synodi Praelato Lambertini, a Secretis Congregationis Concilii, tradita fuerunt. Hoc modo decretum confirmationis, a Congregatione Propagandae Fidei emissum, suspensum remansit.²⁴

Nunc nova studia super Synodum coeperunt. Cardinali Belluga munus voti praeparandi iniunctum fuit. Hic, uti P. Redanaschi refert, lato calamo Episcopos, Patres Synodales et Acta commendavit, S. Sedis laudibus digna censuit et adamussim approbavit, at aliqua in approbatione clarificanda existimavit, « ne obscuritate minus sana insurgat aliquorum interpretario, vel scandali periculum oriri possit ».²⁵

Dicta clarificatio ex mente Cardinalis circa decem puncta verti debebat:¹

- 1^o de particula Filioque in Euchologiis et Liturgiis exprimenda;
- 2^o de Eucharistia pueris non administranda;
- 3^o de usu tollendo linguas infantium intingendi Sanguine Christi in Baptismo;
- 4^o de consuetudine abroganda aquam calidam in calicem consecratum infundendi;
- 5^o de interstitiorum tempore, decreto Concilii Tridentini non accomodato.

²² *Coll. Lac.*, II, 3 d.

²³ « Essendosi dopo una ben ponderata revisione riferiti, ed esaminati in questa Sagra Congregazione gli Atti del Sinodo de' Ruteni, che due anni sono colla Presidenza di Mons. Grimaldi, Antecessore di V. S., si tenne nella Città di Zamoscia, si è trovata la medesima dispostissima ad approvarlo intieramente; onde sene va di già preparando la formola più propria per una formale approvazione.

Si compiacerà ella pertanto di parteciparlo a Mons. Metropolita, ad effetto, che dallo stesso sene comunichi la notizia agl'altri Vescovi, che ne stanno con sommo desiderio. In sequela di ciò si trasmetteranno in breve a V. S., varie istruzioni ». Cfr. *Arch.*..., vol. 112, f. 253.

De eadem approbatione ad Nuntium Grimaldi sub die 18 Julii 1722 Secretarius communicabat: « Essendosi con maturo esame ponderato il disteso dell'Atti, e Decreti del Sinodo Provinciale Ruteno celebrato in Zamosc sotto la presidenza di V. S., e sopitesi alcune difficoltà che per maggior pregio d'un'opera si importante eransi rilevate dai Teologi deputati a riconoscerlo, questa Sagra Congregazione l'ha interamente, ed in tutte le sue parti approvato, rinuovando in tal occasione il plauso più distinto al zelo... ». Cf. *IBID.*, f. 300.

²⁴ *Arch.*..., vol. 65, f. 3.

²⁵ *IBID.*, vol. 64, ff. 351-357.

Quoad prima quatuor puncta voluit Cardinalis Belluga, ut in approbationis decreto Pontifex declararet « minime comprehendi Graecos alios extra Russiam minimeque talibus Decretis auferri ab illis quidquid libertatis a Concilio Florentino satis abunde habent ».²⁶ Circa quintum desideravit, « ipsis Ruthenis consulendum a Pontifice, ut Sacrosancti Concilii Tridentini menti approximentur ».²⁷

Alia quinque a Cardinali optata sequentia erant:

1. Ut in Synodi confirmatione S. Pontifex vel approbaret vel « quatenus abrogatam denuo Parochis Ruthenis facultatem concederet confirmandi, ne periculo invaliditatis Sacramentum exponeretur ».

2. Ut supra obligationem impositam sub gravi a Synodo celebrandi in fermentato Pontificis explicatio apponeretur, hoc decretum sacerdotes distributive non autem collective tangere.

3. Ut Pontifex vel confirmaret facultatem benedicendi oleum infirmorum a sacerdotibus vel abrogatam denuo concederet.

4. Ut in approbationis decreto Patribus Zamostianis inculcarentur, se, cum de ordinibus agitur, menti Concilii Tridentini accomodare debere, eo quod in Synodo nulla facta mentione de exorcistatu inter minores Ordines subdiaconatus collocatus fuit.²⁸

5. Ut in approbatione exprimeretur materiam cum diaconatus tum presbyteratus nedum manuum impositionem modo etiam totum id esse, quod in Florentino declaratum fuit.

Antequam quidquam decideret Congregatio Concilii, votum Cardinalis Patri Josepho Redanaschi, nobis noto, pro revisione dedit.

Quia quinque prima desideria cum difficultatibus a censoribus Propagandae propositis et a nostro Patre solutis cohaerebant, ipse non amplius ea longe discussit, sed breviter animadvertit: « Dicerem superfluum esse supra quatuor priora puncta optatam declarationem. Ratio est, quia Synodus Provincialis est, et sic de sua natura non extenditur extra limites suae Provinciae. Patres docti sunt, et matura laudabilique diligentia hoc totum fecerunt. »

« Quod attinet ad punctum quintum dicerem consonum esse pietati, zelo, et perfectioni, ut in hac re decreto Tridentini usirentur, sed paulatim, procedendum exemplo Salvatoris respectu Apostolorum, et novae Ecclesiae... ».²⁹

Reliqua quinque puncta, cum maioris ponderis a Cardinali existimabantur, Redanaschi per longum latumque excussit refutavitque.

In primo desiderio nullum invaliditatis periculum, quia ex Con-

²⁶ Arch..., vol. 64, f. 357v. Votum ipsum Card. Belluga solummodo ex relatione Patris Redanaschi cognosco, cum ipsum originale in Archivis invenire non potui.

²⁷ *IBID.* 351 v.

²⁸ *Coll. Lac.*, 41 c.

²⁹ Arch..., vol. 64, f. 351 v., f. 358.

ciliis (Florentino), Patribus et Bullis Pontificiis de debita concessione constat.

Nec, explicat noster Pater, Clementis VIII-i instructio « *Sanctissimus* » officit, quia haec pro Italo-Albanensibus, qui iurisdictioni Episcoporum latinorum subiecti erant, emanata fuit.³⁰ Ceterum patet, « hoc evidentissime duabus Bullis posterioribus eiusdem Clementis VIII-i editis pro Ruthenis annis 1595, et 1596 », quibus omnes ritus fidei catholicae non contrarij eis confirmati sunt, inter quos et ille confirmandi a presbyteris fuit agnoscitur.³¹

Relate ad secundum punctum dubitat Redanaschi, an Ecclesia Graeca libertatem dimittendi ritum celebrandi in fermentato possideat. In Florentino omnes sacerdotes iuxta suae Ecclesiae ritum celebrare debere statutum est. Expressio autem « omnes sacerdotes » voci « Ecclesia » iuxta eum aequivalet, inde patet conclusio. At etiam admissio, demonstrat Redanaschi, quod Florentini verba distributive sumi debent, non sequitur Ecclesiam Graecam libertatem ad oppositum possidere, quia Florentinum a Pontifice confirmatum est. Lex inferioris a superiore confirmata fit superioris, nec inferiori tali legi derogare fas est. Sed Ecclesia Graeca est certe inferior dicto Concilio, unde facultatem dispensandi super hunc ritum non possidet.³²

Ad tertium punctum respondet, non convenire, ut Pontifex facultatem oleum infirmorum benedicendi a sacerdotibus confirmet vel denuo concedat, optimum autem si non impediatur.³³ Non convenit, quia nonnulli dubitant an Pontifex in talem concessionem exire possit hac nisi ratione, quod in substantiali Sacramentorum materia non cadit dispensatio Pontificis, quam oleum ab Episcopo benedicendum esse putant. Quamvis ipse saniolem cum Caietano et aliis innumeris sequitur sententiam, consecrationem olei non esse de essentia Sacramenti extremae unctionis et per consequens, non esse de iure divino, sed de praecepto ecclesiastico, ideoque Pontificem dispensare super eadem valere, tamen de facto nunquam dispensaverit. Usus igitur a mille et amplius annis in Ritu Graeco vicens et pro Ucrainis in Bulla Unionis (*Decet Romanum Pontificem*) confirmatus, in pace relinquendus est. Eo vel magis, quod Clemens VIII in instructione ad Episcopos latinos³⁴ decrevit, pres-

³⁰ « Presbyteri Graeci, baptizatos chrismate in fronte non consignent....
1. Episcopi Latini infantes, seu alios baptizatos a Presbyteris Graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirmet; et tutius videtur, ut ad cautelam, et sub conditione id faciant, videlicet, N. si es confirmatus, ego te non confirmo... »;
Cfr. *Fontes Cod. Iuris Canonici*, Nr. 179.

³¹ Bullae « *Magnus Dominus* » (1595) et « *Decet Romanum Pontificem* » (1596).

³² Quod adsit confirmatio huius ritus in Florentino ipse ex verbo praeceptivo « debere » deducit et locis respectivis Corporis Juris illustrat; *Arch...*, vol. 64, f. 353, 362-365.

³³ *IBID.*, ff. 354, 365v-368.

³⁴ Instr. « *Sanctissimus* » (31 Aug. 1595) « Non sunt cogendi Presbyteri Graeci, Olea sancta praeter Chrisma ab Episcopis latinis Dioecesanis accipere, cum huius-

byteros Graecos olea sancta praeter chrisma ab eis percipere cogendos non esse.

Quartum Cardinalis desiderium in tres quaestiones Redanaschi subdividit: 1. quare Synodus exorcistatus non meminit; 2. cur subdiaconatus inter minores ordines collocatus sit et 3. an convenit exprimere praeceptum ut in hac materia Synodus Tridentina sequatur. Ad primam cum Arcudio dicit, exorcistatum ab Ecclesia Graeca penitus sublatum fuisse. Ad secundam notat, in ipsa Ecclesia Latina subdiaconatum solummodo a sexcentis annis Ordinem esse sacrum, dum in Ecclesia Graeca esse minorem patet ex modo, quo fit talis ordinatio (extra sanctuarium, ubi Ordines maiores conferuntur) et ex officio (aquam infundere, lampades accendere, a Laodiceo enim c. 21-o subministris vasa sacra contrectare prohibetur), quod subdiaconis assignatur.

Ad tertiam tandem quaestionem mordaciter animadvertit: « Dicerem quod forsane bene esset, ob maiorem perfectionem, sed si cum Ecclesia Romana uniri debent in hoc Ritu, cum maius habeant circa hunc, quam circa alios obstaculum, cur non in omnibus? et cum in omnibus, cur in dies emittuntur a Sac. Congregatione Concilij, et de Propaganda Fide Decreta, quibus Graeci, Armeni, Abissini etc. adstringuntur ad proprios servare Ritus ».³⁵

Super quintum dubium innuit laudatus censor, etiam Cardinali non esse ignotum, solam manuum impositionem materiam esse certam cum presbyteratus tum diaconatus, sed cum vim magnam de decreto Florentino facere Eminentissimus videtur, ostendit ei hoc decretum pro Armenis, non vero pro Graecis latum fuisse. Deinde hoc non obstante ordinationem Graecorum nunquam in dubium positam fuisse, inde nulla clausulae necessitatis.³⁶

Studiis huiusmodi absolutis, quaestio approbationis a Congregatione Concilij, die 5 Decembris an. 1722, resumpta est. Quoad sex ultimas Cardinalis Belluga propositiones Congregatio sententiam Patris Redanaschi acceptavit, nullamque de eis in decreto approbationis mentionem fecit.

At relate ad illam clausulam: « minime comprehendi Graecos alios extra Russiam... talibus (Synodi) Decretis... », quam Cardinalis primis quatuor punctis apposuit, Congregatio eam in dicto decreto confirmatorio retinere voluit, aliis tamen, uti statim videbimus, expressit verbis.

« Provincialem Synodum... Zamoscien. - legitur in eo ...Eminentissimi DD. Cardinales Tridentini Concilii Interpretes, quorum id mu-

modi Olea ab eis, in ipsa Oleorum, et Sacramentorum exhibitione, ex veteri Ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere... »; Cfr. *Fontes Iuris Canonici*, Nr. 179.

³⁵ *Arch.*, loc. c., ff. 317v-372.

³⁶ *IBID.*, ff. 355-356, 372-374.

nus est ad tramites Bullae s. m. Sixti V, quo decuit studio ac diligentia, considerarunt, perpensoque elaborato suffragio Eminentissimi D. Cardinalis Belluga, albo Sacrae Congregationis Concilii adscripto... censuerunt, ut quoties SS.mo D. N. praedictam Synodum confirmare placeret per literas in forma Brevis, in iisdem literis clausula adderetur... quod per Apostolicam huiusce Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus SS. Romanorum Pontificum et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore debeant permanere. In horum fidem... ».³⁷

Reliquum erat, ut Synodus laudato Brevis coronaretur. Proh dolor, historia approbationis huc non sistit. Deerat usque nunc inter Acta approbata taxa pro cancellariis episcopalibus, de qua in titulo octavo et oratio, quam Nuntius initio Synodi habuit. Taxa ab Episcopis in Synodo proposita Nuntio Grimaldi nimis gravosa videbatur et cum deinde Episcopi urgerent, ut Synodus concluderetur, definitive stabilita non fuit. Nuntius sperabat, se brevi post Synodum aliam cum Metropolita, successive a ceteris Episcopis probandam, elaboraturum esse, sed cum aliam sedem, Vindobonam nempe petere deberet, eam indeterminatam reliquit. Sine his duabus rebus nec impressio Synodi, uti Congregatio Propagandae mense Maio (1722) statuit, incipi nec Breve expediri potuit. Scriptum est duabus vicibus Nuntio Viennensi, ut suo successori necessarias pro taxa stabilienda informationes, Congregationi vero orationem transmitteret, sed ipse nihil respondit.

Evidenter Episcopi iam tertium annum impatienter expectabant et, si velimus Patri Redanaschi credere, ob tantam rei procrastinationem de lege sibi imposita eis poenituit.³⁸ Ideo repraesentabat Congregationi Propagandae Fidei, ut SS.mo pro Brevis confirmationis supplicaretur et quam citius Acta Synodi imprimerentur, secus tantum opus frustrationi expositum foret; taxa autem, uti pars Synodi non essentialis, si veniret, in fine commode inseri posset.

Congregatio Propagandae Fidei precibus istis annuere disposita erat, sed nunc iterum alium dubium ortum est, an in Brevis confirmationis mentio approbationis Synodi ab ambabus Congregationibus fieri debebat. Occasionem huic dubio verba decreti Congregationis Concilii: « Eminentissimi DD. Cardinales Tridentini Concilii interpretes, quorum id munus est ad tramites Bullae s. m. Sixti V, quo decuit studio ac diligentia considerarunt... », dederunt. Expressione "id munus", dicta Congregatio quasi exclusive facultatem approbationis sibi vindicare videbatur, dum vi Brevis, quo Clemens XI Nuntium Grimaldi in praesidentem Synodi deputavit Actorum approbatio Congregationi de Pro-

³⁷ *Coll. Lac.*, II, 4 b.

³⁸ *Arch.*, vol. 64, ff. 17-19.

paganda Fide commissa fuit, quae proinde iusto etiam titulo ad eam devenit.³⁹

De his omnibus in Congregatione Particulari die prima Martii an. 1723 actum et decretum a Cardinalibus fuit: « Supplicandum SS.mo pro Brevis confirmationis Synodi, de qua agitur, et in eodem Brevis indicatur approbatio eiusdem Synodi tam ab hac S. Congregatione quam a S. Congregatione Concilii ». « Scribatur per Secretarium Status Domino Nuntio Viennensi, ut quam citius omnino transmittat S. Congregationi de Propaganda Fide orationem ab ipso in Synodi aperature peractam, eamque S. Congregationem certiore faciat de executione litterarum ab eadem ipsi transmissarum, sub data 18 Julii 1722 ». « Item scribatur D. Nuntio Poloniae ad effectum statuendi taxam pro Cancellariis Episcoporum Ruthenorum in eadem Synodo imprimendam, ut est dispositio eiusdem Synodi in Cap. 8°, necnon etiam super controversiis, et quaestionibus ab iisdem Episcopis et monachis Congregationis Basilianae occasione Synodi propositis, ut ipso per S. Congregationem scriptum fuit sub die 18 Julii 1722 ». « Typis huius S. Congregationis detur Synodus, et taxa non in fine, sed prope finem impressionis apponatur, expensis S. Congregationis ».⁴⁰

Eodem sub die decretum confirmationis, iam anno elapso (15 Maji), latum, ad acta relatum est. Die vero 10 Martii S. Pontifex annuit, ut Breve expediretur.

Nuntius Poloniae frustra Vindobona informatione exspectata ordines sibi datos executioni mandavit: Metropolitam de confirmatione certiore reddidit, ad correctionem Missalis, Breviarii aliorumque librorum ecclesiasticorum excitavit et elenchum taxarum cancellariarum suffraganeorum ab eo postulavit.⁴¹

Hic morem praecepto gessit et sine mora taxam episcopatus Pincensis, quae alias in Synodo proposita fuit, Nuntio transmisit.

Cum Romae adhuc ex relatione Nuntii Grimaldi notum esset, eam in aliquibus excessivam esse, Cardinales in alia Congregatione Particulari, die 6 Decembris an. 1723, et in Congregatione Generali die 10 Januarii an. 1724, quid faciendum perpendebant. Quo melius autem rem iudicare possent Nuntio uniunxerunt, ut taxarum diocesanarum totius Poloniae authentica exemplaria Romam trassmitteret.⁴²

En rova negotii diatio. Cum in omnibus fere cancellariis latinis non iuxta normam stabilitam, sed potius secundum qualitatem petentium et arbitrium iudicis vel notarii taxa exigeretur, Curiae dioecesanae in-

³⁹ Arch..., vol. 65, f. 3-4. Cfr. Coll. Lac., II, 18 a-c.

⁴⁰ IBID.

⁴¹ Arch..., vol. 65, f. 311-312.

⁴² IBID., vol. 68, ff. 52-55.

vitae eam communicabant. Ob motivum praedictum taxam Archiepiscopatus Leopoliensis latini omnino obtinere non valuit.⁴³

Patris Redanaschi consilium erat, ut inter diversas illa, quam Metropolita transmisit acceptaretur, quia circa eam Episcopi in Synodo convenerunt et inde gratum eis non esset, si mutaretur. Etsi nimis alta videretur, nullum praeiudicium pro clero ex ea derivaret, si Episcopi ab aliis indebitis exactionibus abstinere. Ceterum si revera excessiva demonstraretur, occasione Synodorum dioecesanarum limitari posset.

Ex altera parte, ex collatione, quam ad Congregationem misit Nuntius, elucebat taxam Zamostianam in octo punctis ab illa, quae in Nuntiatura observabatur, altiolem fuisse, sed in eisdem punctis cum taxa Curiae Vilnensis latinae concordabat.

Quibus prae oculis habitis, in Congregatione Particulari die 27 Junii 1724 Cardinales taxam Zamostianam approbarunt.

Praeterea decreverunt, ut Synodus non memoriae Clementis XI, sed Benedicto XIII, tunc regnanti dicaretur. Episcopis autem, quo magis eorum zelus ad decreta Synodalia observanda et in specie fundationes in Pontificio Collegio Leopoliensi condendas accenderetur, epistulae adhortatoriae simul cum Actis et Decretis Synodalibus mitti debebant.⁴⁴

Anno successivo (1725) Luceoriae publicatio Synodi locum habuit. Die 23 Aprilis Metropolita cum Episcopis litteras gratiarum actionis ad Pontificem redegerunt, in quibus scribunt, quod decreta confirmata non iam ut sua, sed uti pontificia suscipienda sunt ab eis.⁴⁵ Item et Car-

⁴³ *IBID.* Transmisit taxas Episcopatum: Vilnensis, Lublinensis, Cracoviensis, Posnaniensis et Gnesnensis. Omnes in vol. 68 videri possunt.

⁴⁴ Scriptum est sub die nona Septembris 1724. Cfr. *Littere* illius anni, f. 260 sq.

⁴⁵ « ...gratias quam humillimas referre, quod exilibus nostris sensibus in Decretis ejusdem praenominatae Synodi contentis, robor Apostolicae Suae Auctoritatis, addere non sit dedignata ita, ut praenominata decreta non iam ut nostra, sed ut Vestrae Sanctitatis abhinc suscipienda sint nobis »; Cfr. *Arch.*, vol. 68, f. 232.

Post ista verba lugendam suae Ecclesiae positionem Pontifici patefaciunt: ab Optimatibus Regni continuis vexationibus afficiuntur. Hi bona episcopatum locata vel iniuste tempore schismatis ablata restituere renuunt. Ita Metropolita nullo modo praedia Grodek et Obarov obtinere valet. Easdem iniustitias, quas Metropolita (a principe Lubomirski, cfr. 278-279) etiam Episcopi Luceoriensis (a principe Sanguško, cfr. *IBID.*) et Polocensis (a Patribus Societatis Jesu cfr. *IBID.*) patiuntur. In tanto discrimine ab Episcopis latinis non sustentamentum, sed vilipendium experiuntur, qui depressione eorum ipsi eminentiores fieri cupiunt.

Supplicant igitur, ut iustitiam non in Tribunalibus Regni, in quibus Episcopi latini (Poloni) partiales se demonstrant, quaerere adigantur, sed ut Tribunal Nuntiaturae immediate ius dicere eis possit et secundo, ut in bulla *Coenae Domini* a Pontifice addatur, violatores immunitatum ecclesiasticarum eisdem poenis, sive de Graeci sive Latini Ritus personis agitur, subiacere. Cfr. *Loc. c.*, f. 232-234. Pater Trombetti, Rector Collegii Pontificii Leopoliensis, sua vice, circa idem tempus Congregationi denunciavit, quod Acta Synodi divulgata ob tres praecipuas rationes a Nobilibus Regni male excipiuntur: 1º, quod in eis filii sacer-

dinalibus Propagandae Fidei se « post tam longas taediosimasque expectationes... non minus avido quam festivo animo Synodum recepisse » communicaverunt.⁴⁶

Hoc modo Synodus, inde ab annis quinque celebrata, in vitam plene deduci nunc poterat, qua de re non est scopus praesentis articuli enarrare. Exposita autem sensum Brevis confirmatorii intelligere nobis permittent, sed de hac quaestione in sequentibus.

Art. 3. — De forma approbationis Synodi Zamostianae.

Per litteras in forma Brevis, de die 19 Julii 1724, quae incipiunt « *Apostolatus officium* », Synodus Zamostiana confirmationem formalem obtinuit. At usque in praesens dissensus de forma istius approbationis sopiti non sunt. Ut in opinionum varietate secure procedamus, quotuplex sit et quid secum ferat unusquisque approbationis genus cognoscere debemus.

Si stricte loqui velimus approbatio per se a confirmatione differt. Approbare, est fateri aliquem actum esse alicui legi vel regulae conformem. Confirmare, e contra, est aliquem actum ex auctoritate confirmantis magis firmum reddere.¹ Tamen saepius apud canonistas utraque notio confunditur, imo, in ipsis documentis pontificiis unus conceptus pro altero usu venit.

Confirmatio supponit actum vel instrumentum iam validum vel firmum et inde si actus, qui confirmatur invalidus est, neque confirmatio valorem ei tribuit, seu confirmatio inutilis fit, secus est utilis. Aliquando

dotum liberi et non servi reputantur; 2°, quod servi ad sanctificationem festorum obligantur, et 3°, quod Nobiles sub poenis ecclesiasticis praesentationes ad beneficia vendere prohibentur. Unicus Palatinus Russiae in colloquio cum ipso habito Synodum defendere appromisit, unde pro litteris, quibus laudes et zelum praedicti principis excitaretur, Congregationem rogavit. Cardinales in Congregatione Particulari die 20 Julii 1725 adunati petitioni annuerunt, ut tali modo difficultatibus huic tot vicibus discussae Synodi obstantibus viam praeccluderent. Cfr. *Arch.*, vol. 68, f. 94 v.

⁴⁶ *IBID.*, f. 236. Personaliter interfuerunt et subscripserunt: Metropolita Leo, Josephus Wyhowskyj - Ep. Luceor., Athanasius Szeptyckyj - Ep. Leopol., Josephus Lewickyj - Ep. Chelmensis, Theophilus Godebskyj - Ep. Pinscen.; per delegatos Episcopi: Vitebscen. (Florianus), Smolnscen. (Laurentius) et Peremislien. (Hieronymus). Praeterea subscripti leguntur: Archimandritae: Polycarpus Filipowyč (Lescinensis), Sylvester Ternawskyj (Dorohobusen.), Andres Bienitskyj (Arch. Owručen. et Officialis Metropolitae Kijowien.), Patricius Biletskyj (Zimnen. et Offic. Vladimiriens.) et Theodosius Rudnitskyj (Caniowien.).

¹ Card. LEGA - BARTOCETTI, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, Romae 1938, I, 415; A F. SCHMALZGRUEBER definitur confirmatio: est juris prius habiti, seu quaesiti, per legitimum superiorem facta corroboratio (*Jus Ecclesiasticum Universum*, vol. IV, tit. XXX).

vero confirmans a validitate actus abstrahit et tunc distinguimus confirmationem in forma specifica et in forma comuni.

Prima forma actum ita firmat, ut defectus intrinseci, qui valori actus obstant sanati evadunt et actus fit principis (confirmantis), secundum illud Justiniani: « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur ».²

Altera vero actum in suo valore relinquit.

Sed undenam confirmatio in forma specifica? Plura signa ad eam di-
gnosendam canonistae enumerant: 1º, si in instrumento seu rescripto confirmationis totus dispositionis vel actus, qui confirmatur, tenor inseritur.³ Tunc constant, principem sufficientem rei notitiam et scientiam habuisse ideoque non obstante aliquo defectu, sua auctoritate actum confirmare voluisse.⁴ 2º. Si in actu confirmationis expresse adjecta sit clausula, principem « ex certa scientia » agere. In isto casu credendum est, principi affirmanti se plenam rei notitiam habuisse et defectum, qui corrigendus vel supplendus erat, non ignorasse.⁵ 3º. Si confirmatio obtinet per verba clausulae « ex certa scientia » aequipollentia, uti sunt « ex plenitudine potestatis », vel « contraria non obstante dispositione », vel « omnes juris et facti defectus supplendo » et ita porro. Per huiusmodi clausulas princeps ostendit, se velle confirmationem non secundum, sed contra jus commune tribuere, quod non nisi ex certa scientia facere praesumitur. 4º. Deduci etiam potest haec confirmatio ex aliis verbis rescripti confirmatorii, vel ex narratis in illo, ex. gr. si constat diligens examen praesertim in aliqua Sacra Congregatione de re institutum fuisse ita, ut appareat S. Pontificem cum plena cognitione egisse.⁶ Non refert quo modo princeps mentem suam exprimat « cum taciti et expressi sit eadem vis ». 5º Ultimo, si actus confirmationis a principe iteretur, quia geminatio rescripti vim habet clausulae ex certa scientia.⁷

Notandum autem est, quod in dubio, an confirmatio facta sit in forma specifica, vel communi, praesumitur in forma communi factam fuisse, nisi aliquod signum apponatur, ex quo deduci potest, eam in forma specifica datam fuisse, quia confirmatio supponit rem esse, quae confirmatur, cum sit qualitas accidentalis, non-entis autem qualitates sunt nullae.

Ex dicta praesumptione non sequitur confirmationem in forma com-

² L. 1.

³ Hoc modo Synodus in civitate Kobryn, in Ucraina, celebrata, confirmata fuit. Cfr. I. KULCZYNSKI, *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Parisiis 1859 reed., 214-220

⁴ Cfr. P. FAGNANUS, F. SCHMALZGRUEBER, E. PIRHING, A. REIFENSTUEL, in titulo « *De confirmatione utili et inutili* ».

⁵ F. SCHMALZGRUEBER. *Loc. c.*

⁶ SANTI, *Praelectiones Iuris Canonici*, L. II, Tit. XXX; PH. MAROTO, in *Commentarium pro Religiosis*, VI (1925), 267.

⁷ F. SCHMALZGRUEBER, *Loc. c.*

muni otiosam esse, eo quod etiam per eam actus fit aliquo modo principis, magis observatur nec tam facile impugnatur.⁸

Rescripto confirmatorio de solito variae clausulae adiiciuntur. Ex his, uti et in nostro Brevis, saepissime illa: « Non obstantibus Apostolicis... Constitutionibus et Ordinationibus... » occurrit. Per istam omnia, quae dispositionibus obstare possent, tolluntur. Non tollit tamen ea quando agitur de aliqua speciali provisione praecedenti, quia non praesumitur cogitasse derogans de speciali provisione, nisi verba dispositionis praecedentis annullativa exprimat. Nec sufficit clausula memorata, ut derogare possit illi legi, quae clausulam derogatoriam ad futura rescripta continebat, nisi de illa lege mentionem faciat expresse vel verba aequipollentia. Sufficit autem pro derogatione decretorum disciplinarium Concilii Tridentini, quia ipsum in sessione 25-a: de reformatione, disposuit, omnia in eo decreta ita intelligi debere ut salva esset auctoritas Pontificis.⁹

At locum habet clausula: « Non obstantibus constitutionibus vel ordinationibus Apostolicis in contrarium facientibus » in iis, quorum notitiam verosimiliter Pontifex habuit. Deinde haec clausula cum decreto irritanti apposita ostendit, Pontificem sua potestate uti voluisse.¹⁰

Quinam pressius sit valor confirmationis? Ante omnia, per Concilii Provincialis confirmationem eius decreta ultra provinciam extendi non possunt.¹¹ An iuri communi eius dispositiones derogare valent, dependet a forma approbationis. Nullum dubium Concilium simpliciter cognitum iuri communi derogare non potest. Si quae vero statuta, in Concilio a Sede Apostolica cognito, sacris canonibus (iuri communi) contraria inveniuntur, per hoc ipsum legitima non evadunt. Aliquando graves rationes consulunt potius, ut huiusmodi statuta in decreto recognitionis silentio praetereantur, quod (silentium) pro indulto vel dispensatione a lege generali interpretari non debet.¹² Ideo talia statuta intantum approbata censi possunt, inquantum sacris canonibus non adversantur. Evidenter neque iura tertiorum laedere valent; principium enim in iure certum est, per simplicem recognitionem tertiorum iura praeiudicium non pati. Hoc in sensu Congregatio Concilii decrevit per Concilii Provincialis Coloniensis consuetudinem legitimam de Missa conventuali celebranda abrogatam non fuisse.¹³

⁸ P. FAGNANUS ita commentatur: « ...parum prodesse, impetrationem (confirmationem) fieri ad cautelam, ne videatur sine scientia Papae processisse, ad hoc ut ob illius reverentiam magis teneatur »; Cfr. *Commentaria in quinque libros Decretalium*, C. 1, X, II, n. 22.

⁹ A. BARBOSA, *Tractatus varii*, Clausula 82-a, nr. 4, 5, 13, 14.

¹⁰ *IBID.*, nr. 6.

¹¹ BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecessana*, L. XIII, 3, 5.

¹² *De Conciles Provinciaux et de leur révision par le Saint Siège*, in *Analecta Iuris Pontificii* an. 1863, col. 2009.

¹³ *Archiv fuer katholisches Kirchenrecht*, 13, 450; HINSCHIUS, *System...*, III, 650.

Approbatio vero in forma communi praesumptionem generat, in Actis Concilii nihil iuri communi contrarium adesse.¹⁴ At si de facto aliquid occurrit, ius commune evincere non valet.

Denique, approbatio in forma specifica ius commune pro certa provincia in aliquibus abrogare vel ei derogare potest, in scrinio enim peccatoris Pontificis omnia iura abscondita esse dicitur. Sed etiam haec approbatio iura aliis quaesita servare solet.

Aliud grave diversarum approbationum consecrarium est id, quod confirmatio in forma specifica ligat manus iudicis inferioris, quominus possit de negotio confirmato tali modo cognoscere sine mandato Pontificis.¹⁵ Quapropter, si unum Concilium Provinciale praedicta confirmatione gauderet, alterum successivum sine beneplacito Sedis Apostolicae leges anterioris abrogare vel eis derogare non posset.

Per aliam confirmationem, in forma communi nempe, quae conceditur sub conditione, si juste, canonice aut provide decretum fuerit, et ex stilo Curiae Romanae clausulis « dummodo (decreta) sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis, constitutionibus Apostolicis non adversentur », exprimitur, via iudicio ordinario cognoscendi de validitate iuris confirmati non praeccluditur. In hoc casu Pontifex sine praeiudicio alicuius agere censetur.¹⁶

Codex doctrinam de confirmatione simpliciter retinet et in can. 1683 statuit nullum iudicem ipso Romano Pontifice inferiorem de confirmatione ab eo data videre posse. Qui canon de confirmatione specifica agere videtur ita, ut neque Congregatio neque S. Rota tenorem actus vel instrumenti tollere aut minuere sine mandato pontificio, quod apertio oris audit, potest.¹⁷

Nunc iam opus est, ut inquiremus, qua forma Synodus Zamostiana confirmata fuerit? Qua de re diversi diversa sentiunt. Alii enim eam in forma specifica confirmatam fuisse tenent,¹⁸ alii negant vel de tali con-

¹⁴ HINSCHIUS, loc. c., p. 651.

¹⁵ FAGNANUS, *Commentaria...*, C. 1, X, II, 11, 14. - Propter exposita, cum aliqua distinctione accipienda esse videntur verba J. B. SAEGMUELLER in suo « *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts* », IB., I-er T., 173-174: « Durch eine eventuelle Bestaetigung vonseiten des Papstes erhalten dieselben jedoch keine allgemeine Gesetzeskraft, sondern bleiben auf die betreffende Kirchenprovinz beschaenkt (C. 2, in VI, de const. 1, 2; can. 291, 2), sed immediate proseguitur: « Doch wuerden in diesem Fall die Beschluesse contra jus commune diesen fuer die Provinz aufheben », si de approbatione specifica - ita censemus - agitur et non aliter.

¹⁶ *Ibid.*, nr. 18, 20.

¹⁷ Cfr. LEGA - BARTOCETTI, loc. c., p. 414-417; A. VERMEERSCH, S. J. - J. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, Mechliniae-Romae 1936, III ed. 5; p. 51. Si codex doctrinam confirmationis veterem retinet, planum est ipsam ex veteris iuris praescripto et ex probatorum auctororum interpretatione explicandam esse. Relate ad Concilia viget nunc praescriptum can. 291. Cfr. supra p. 148.

¹⁸ D. HOLOWECKYI, O. S. B. M., in *Codificazione Canonica Orientale*, Fonti, Vol. VIII, 596.

firmatione dubitant.¹⁹ In sententiam negativam etiam magnus ille canonicus protestanticus Hinschius in suo opere²⁰ et omnes, quorum historicus Ecclesiae Ucrainicae Pelesz meminit,²¹ exeunt.

Clavis totius in re hostra dissensus est clausula Brevi confirmatorio adiecta. Proposuerunt, ut fuse enarravi in articulo praecedenti, consultores S. Congregationis de Propaganda Fide et Card. Belluga, ut in decreto confirmationis clausula apponeretur, innovationibus ritualibus a Synodo introductis « minime comprehendi Graecos alios extra Russiam minimeque talibus (Synodi) Decretis auferri ab illis quid libertatis habent a Concilio Florentino », vel « non intendentes tamen per hoc alios, qui de graeco ritu sunt, ad id constringere ».²²

Eaedem clausulae in decretis Congregationum: Concilii et de Propaganda Fide aliis verbis expressae sunt. In decreto S. C. Concilii sonat: « Provinciale Synodum... Zamoscien... Cardinales... quo decuit studio ac diligentia, considerarunt, perpensoque elaborato suffragio Eminentissimi D. Cardinalis Belluga... censuerunt, ut quoties SS.mo D. N. praedictam Synodum confirmare placeret per literas in forma Brevis, in iisdem literis clausula adderetur, quod per Apostolicam huiusce Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus SS. Romanorum Pontificum et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore debeant permanere. In horum fidem.... ».

Fere iisdem verbis decretum S. Congr. de Propaganda Fide clausulam enunciat: « Referente Eminentissimo... Nicolao Spinola Acta et Decreta Synodi... Zamosc... Eminentissimi Patres S. Congregationis de Propaganda Fide... praedictam Synodum plenissime approbarunt. ...statuentes insuper, supplicandum esse SS.mo pro Apostolica confir-

¹⁹ METR. ANDREAS SZEPTYTSKYJ, in *Lvivski Archieparchialni Vidomosty*, vol. LV (1942), pag. 83, scribit: ex Conciliis Provincialibus Ucrainicis nullum in forma specifica approbatum fuisse; A. RAES, S. J., in art. *Le Liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest* (*Orientalia Christiana Periodica*, VIII (1942), p. 121) haec habet « On discute beaucoup pour savoir si le Synode (de Zamosc) fut approuvé in forma specifica ou non ». Et CAROLUS DE CLERCQ in *Apollinaris*, IV (1931) p. 416, scribit: « Episcopi provinciae Kioviensis... synodum provinciale... in civitate Zamoscensi tenuerunt... eius acta... in forma communi approbata fuerunt ».

²⁰ P. HINSCHIUS, *System...*, III, 651. De approbatione in forma communi tractans uti exemplum in nota nostram Synodum ponit et paulo infra continuat: « Während schon früher niemals eine Bestätigung von Synodalbeschlüssen in forma specica erteilt ist, hat man neuerdings auch in Rom die Praxis festgestellt, trotz der Bitten der Synodem eine Konfirmation in forma communi zugewahren ».

²¹ J. PELESZ, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, v. II-um Wien 1880, 444. Asserebat nempe illi decreta Synodi intantum confirmata fuisse, inquantum constitutionibus et decretis Conciliorum de ritibus Graecorum non contradicere.

²² *Arch...*, vol. 64, ff. 351; 357.

matione ipsius Synodi per literas in forma Brevis, in iis tamen, si Sanctitati Suae placuerit, inserendo clausulam, quod per Apostolicam praefatae Synodi confirmationem nihil derogandum esse censeatur constitutionibus SS. Pontificum et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore debeant permanere ».²³

Denique ipsum Breve confirmationis « *Apostolatus officium* » (19 Julii 1724) nonnisi repetit id, quod in decretis desideratum fuit. ENIUS tenor: S. Pontifex exorditur apostolatus sui officii esse, ut ea quae ad bonum fidelium regimen statuta sint apostolici partocinii munimine roboret. Quapropter cum Metropolita Russiae ei supplicaverit ne Synodi Zamosciensis decreta « quo firmiter subsistant et serventur exactius » confirmatione apostolica communitate dedignaret, ipse eiusmodi precibus inclinatus, absolvens dictum Metropolitanam ab omnibus censuris et poenis a iure vel a homine, « tam ...Cardinalium negotii de Propaganda Fide praepositorum, quam Concilii Tridentini Interpretum, qui Synodum Ruthenam praedictam praevio maturo examine plenissime approbaverunt, consilio, Synodum huiusmodi... omniaque et singula in ea edita statuta, ordinationes et decreta auctoritate Apostolica » ...confirmat et approbat « illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur » adiicit, « ita tamen quod per... per praedictam Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum Praedecessorum... et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae non obstante huiusmodi confirmatione semper in suo robore permanere debeant, ac salva semper in praemissis auctoritate Congregationum eorundem Cardinalium ».

Post quae prosequitur Pontifex iterum: se decernere, ut « statuta, ordinationes et decreta » ...« non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque » semper firma valida et efficacia « existant et sint » suosque plenarios et integros sortiantur effectus « ac ab omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse » observentur. Iudices vero sive ordinarii sive delegati, etiam Camerae Apostolicae auditores, qui scienter vel ignoranter contra decreta iudicaverint, irrita et inaniter procederent. In fine statuit Pontifex, ut Brevis transumptis, a notario subscriptis et sigillo personae in dignitate constitutae munitis, eadem ac originali fides exhibeatur.²⁴

Expositis prae mente habitis, fas sit mihi quaerere: Estne verum decreta Zamostiana intantum confirmata fuisse, inquantum constitutionibus de ritibus Graecorum conservandis non contradicere? Negative,

²³ *Coll. Lac.*, II, 3-4.

²⁴ *IBID.*, 2-3.

sive textus Brevis sive decretum Congregationis de Propaganda Fide inspiciatur. Sane in Brevis dicitur: «Nos... Synodum... celebratam omniaque et singula in ea edita statuta, ordinationes et decreta auctoritate Apostolica... confirmamus et approbamus...». Notanda sunt verba: «omnia et singula... statuta, ordinationes...», sine exceptione igitur seu divisione in illa quae ritibus Graecorum contradicunt vel non.

Nec satis; immediate enim post clausulam: «ita tamen quod...» Breve denuo inculcat: «Decernentes...Synodum in eaque edita statuta, ordinationes et decreta... semper firma, valida et efficacia existere et fore... non obstantibus Apostolicis ac...». Unde si clausulam: «ita tamen quod... nihil derogatum esse censeatur... decretis Conciliorum... super ritibus Graecorum...», explicare vis quod per eam intantum decreta Synodi Zam. confirmata fuerunt, inquantum constitutionibus et Conciliorum de ritibus Graecorum decretis non contradicunt, Breve pontificium de manifesta et enormi contradictione accusare debes. Et logice quidem, nam quod in una linea assereretur («omnia et singula... decreta... confirmamus et approbamus...»), in altera, inferiori, negaretur («ita tamen quod... nihil derogatum esse censeatur... decretis Conciliorum... super ritibus Graecorum...»), in tertia denuo affirmaretur («Decernentes... statuta, ordinationes et decreta... semper firma, valida et efficacia existere et fore...»).

Unde sensus clausulae: «ita tamen quod...», est alius. Pontifex omnia et singula Synodi Zamosciensis decreta, quamvis aliquas novitates rituales apud ceteros Orientales non existentes introducunt, confirmat. Ne illi autem ceteri cogitent, se exemplo Ucrainorum ad similia teneri, ad abundantiam, provincialis enim est Synodus, subiungit constitutiones et decreta Conciliorum generalium (praesertim Florentini) de ritibus Graecorum conservandis pro eis in suo vigore manere.

Ceterum si aliquod dubii vestigium existeret, hoc ex eiusdem clausulae historia plane evanescit. Consultores clare proponebant, ut diceretur: «non intendentes tamen per hoc... alios qui de graeco ritu sunt ad id constringere», vel «minime comprehendere Graecos alios extra Russiam». Exinde patet, clausulam nominatam intuitu aliorum, non vero Ucrainorum, positam fuisse. Ad legis enim rectam interpretationem et sensum genuinum in casu dubii dignoscendum, praeter alia, etiam circumstantiae, quibus originem debet, multum inservire possunt.

Hoc et non alio sensu clausulam Benedictus XIV in constitutione «*Allatae sunt*» (26 Julii 1755) intellexisse videtur: «Deprehenditur (Apostolicae Sedis de ritibus Orientalium servandis sollicitudo) ex confirmatione Synodi provincialis Ruthenorum coactae in urbe Zamosciae anno 1720, ad quam examinandam Nos quoque, quippe qui tunc munere secretarii Congregationis Concilii fungebamur, acciti fuimus a fel. rec. Benedicto XIII, qui licet obsecundandum putasset insinuationibus Patrum ejusdem Concilii, a quibus nonnulli ritus inter Graecos vigentes suis decretis vel temperati fuerant vel sublati, praedictam Synodum

confirmavit quidem suis Apostolicis litteris in forma Brevis datis a. 1724, hac tamen addita declaratione: Ita tamen, quod per... ».²⁵

Successive Pius PP. IX in sua ad Archiepiscopum Leopoliensem epistula « *Omnem sollicitudinem* » (13 Maji 1874) contra aliquos, qui censebant Ucrainos innovationibus ritualibus a Zamosciensi sancitis non ligari, scripsit: « Ad Nos relatum est, inter istos catholicos Graeco-Rutheni ritus vel acrem controversiam de re liturgica temerario ausu excitatam esse, ac quosdam existere, licet in clericali ordine constitutos, qui rebus novis studentes sacras caerimonias, alias immemorabili usu receptas, alias quoque Zamoscenae Synodi quam Apostolica Sedes probavit, sanctione solemniter confirmatas, proprio lubitu immutare ac reformare pertentant ».²⁶

Semel clausula illa famosa bene intellecta, ulterius procedimus, asserentes Synodum Zamoscianam in forma specifica confirmatam fuisse.

Quae conclusio ex his, quae supra praemisimus, erui valet. In Brevi enim nostro sollemnitates ad talem confirmationem requisitae occurrunt. Verum est, verba: « ex certa scientia » hic deficere, at alia memoratis aequipollentia non desiderari. Inter signa confirmationis in specie, prae ceteris, etiam ista veniunt: si in instrumento decernitur dispositionem valere contrariis non obstantibus quibuscumque, vel si, ut ea, quae supra exposui repetam, ex instrumento constat de examine negotii diligenti apud aliquam S. Congregationem. Utrumque ex his in Brevi perspicui potest: Pontifex narrat se de consilio Cardinalium tum Propagandae Fidei tum Concilii, qui paevio *matur*o examine Synodum plenissime approbarunt, agere, unde nullum dubium ipsum plenam rei cognitionem habuisse. Secundo, statuit Pontifex Breve Synodique decreta non obstantibus constitutionibus Apotolicis et Conciliorum sive generalium sive provincialium ordinationibus semper firma, valida et efficacia existere et fore. Imo, si quid contra confirmata attentatum fuerit, vult Pontifex, ut irritum sit, quod est indicium ipsum sua potestate usum fuisse.

²⁵ *Coll. Lac.*, II, 479 c.

²⁶ *Coll. Lac.*, II, 483- 484. HINSCHIUS ad conclusionem negativam ob clausulae « ita tamen quod... » non rectam intelligentiam pervenisse videtur. En quo modo ipse procedit: « Verschieden davon (simplici recognitione) in der Form ist die Approbation oder Konfirmation durch ein besonderes paepstliches Breve, welches wenn es weiter nichts als diese enthaelt eine in s. g. forma communi ergangene paepstliche Anordnung bildet. Diese enthaelt stillschweigend den Vorbehalt in sich, dass in den bestaetigten Beschluessen nichts dem bestehenden Rechte (den Kanones, dem Konzil von Trient und den paepstlichen Konstitutionen) widerspricht (et hic in nota clausulam: « ita tamen quod... » aliet), waehrend allein eine Bestaetigung in s. g. forma specifica, welche aus der paepstlichen Machtfulle heraus, motu proprio et ex certa scientia ertheilt wird, alle entgegenstehenden Rechte (mit Ausnahme von Berechtigungen Dritter) beiseitigt ». Cfr. *System...*, III, 651.

In fine, melioris illustrationis causa, collationem nostri Brevis confirmatorii cum aliis aliorum Conciliorum instituimus.

Supra diximus, aetate recentiori litteris in forma Brevis Concilia Kobrynense, Zamostianum, Mechlinense, Beneventanum, Avenionense, Ebredunense et Libanense confirmata fuisse.

Synodi Kobrynensis decreta in Brevi Urbani VIII «*Militantis Ecclesiae*» (6 Decembris 1629) inserta, approbantur et confirmantur, defectus tam iuris quam facti suppleantur contrariis quibuscumque non obstantibus.²⁷

Breve confirmationis Synodi Libanensis «*Singularis Romanorum*» (1 Septembris 1741) totam approbationis et celebrationis Synodi historiam perstringit, sed quoad iuris sollemnitates iisdem verbis est datum ac Breve Synodi Zamostianae. Unice clausula de ritibus aliorum servatis clarius in eo expressa legitur: «...Nos... Patriarchae Ablegati, Archiepiscoporum, Episcoporum... nationis Maronitarum... votis... annuere... volentes... Synodum huiusmodi omniaque et singula in ea, ut praemittitur, edita statuta, decreta, ordinationes et canones, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; ita tamen, quod per Nostram praedictam Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, et decretis Conciliorum generalium super ritibus ceterarum quarumque nationum sive specialiter sive generaliter factis, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, in suo robore permanere debeant; ac salva semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Propagandae Fidei, Nobis tamen... toties, quoties opus fuerit, super praemissis omnibus prius consultis. Decernentes easdem praesentes litteras ac Synodum in eaque edita statuta, ordinationes, decreta et canones huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore... non obstantibus praemissis omnibus et Apostolicis ac in universalibus, provincialibus Conciliis editis... constitutionibus... ceterisque contrariis quibuscumque... »²⁸

Non sine ratione suspicari licet Cardinales exemplo Synodi Zamostianae edocti, hanc ipsam clausulam obque easdem rationes et in nunc relato Brevi apponere voluerunt.

Quartum Concilium Provinciale in forma specifica confirmatum est Ebredunense (an. 1727). Historia Concilii relata, prosequitur Breve «*Bonomam sobolem*» (17 Decembris 1727): «non solum igitur precibus vestris annuentes, sed Constitutionum etiam gravitate et sapientia postulante, quae ad Nos misistis, Concilii Decreta mature a Nobis expensa, prae-

²⁷ I. KULCZYNSKI, *op. c.*, p. 219; Cfr. *Codificazione Canon. Orient., Fonti*, VIII, 106-107.

²⁸ *Coll. Lac.*, II, 491-492.

sertim vero de contumaci Episcopo providum Consilium, libenti animo collaudamus et comprobamus nostraeque Auctoritatis subsidium ac robur adjicientes plenissime confirmamus». ²⁹ Pontifex declarat, se post maturum examen decreta plenissime confirmare, ideo defectus iuris, si qui adessent, supplere.

A modo discussis cetera approbationis Brevia differunt: Breve Innocentii XII « *Etsi de eximia* » (16 Ianuarii 1694), occasione Synodi Beneventanae primae (1693) datum, zelum Cardinalis Urbani, qui Synodum convocavit, laudat, sed ne verbum de decretorum approbatione facit. Eiusdem tenoris est Breve ad Synodum Beneventanam secundam (1698). ³⁰

Concilii Avenionensis (1725) constitutiones Benedictus XIII (Ursini) mere « comprobat », sine ulla clausula. ³¹ Exinde liquet, has Synodus nonnisi approbatione in forma communi gaudere.

²⁹ *Coll. Lac.*, I, 727.

³⁰ *IBID.*, 110-111, 128.

³¹ *IBID.*, 586. « ...constitutiones ...a nobis merito comprobatas ...remitterimus ...Tibi ...Benedictionem ...impertimur ».

CONCLUSIO

E brevi nostra Synodi Zamostianae analysi iam satis patet, ipsam normas claras sive in Sacramentorum administratione sive in disciplina cleri servandas tradidisse. Et hoc est magnum eius meritum.

Hucusque enim sive officia Metropolitae, sive Episcoporum, sive Parochorum determinata non erant et inde arbitrio locus dabatur. Praeterea, ordini ubique restaurando studens, Synodus Officiales, Cancellarios et Decanos instituit ac visitationem canonicam praescripsit. Bona vero ecclesiastica oppurtunis decretis in casu vacationis beneficii a depreditione praeservare voluit. Deinde Clerum, hucusque indoctum et incultum, elevare cordi habens, ad Seminaria vel foundationes condensas Episcopos excitavit. Proinde nullam fere sectionem vitae ecclesiasticae, cui aliquid non contribuerit, omisit.

Et de facto historia Metropolitiae Kijoviensis successiva demonstrat, quantam renovationem Synodus nostra attulit. In laudem Hierarchiae Ecclesiae Ucrainicae referre cogimur, quod decreta Synodalia magno cum scrupulo in vitam deducta fuerunt. « Breviter dicendo hoc quod Concilium Tridentinum pro universa Ecclesia (Latina) - aiebat Romanus Lobodyč in Congressu Unionistico Leopoliensi, a Societate Scientifico-Theologica Ucrainorum anno 1937 instituto - id Synodus Zamostiana pro nostra fuit ».¹

Ipsi scriptores orthodoxi-separati cum invidia ordinem ab ea in dioecibus introductum admirant.² « Rigida organizatio, scribit Lebedintsev, quam ab ista Synodo Ecclesia Unita recepit, vires eius, ad luctam cum orthodoxis (-separatis) necessarias, auxit... ».³

Tamen unum verbum de innovationibus ritualibus adiungamus oportet. Suis locis notavimus, quod Synodus ne unam quidem modificationem in ritibus *introduxit*, sed illas, a longo tempore ob circumstantias locales ortas et in praxi iam vigentes, tolleravit. Has auferre Synodus opportunum non censuit. Quapropter nullo modo Curiae Roma-

¹ R. LOBODYČ *Značinnia Zamojskoho Synodu dla Ukrainskoj Zjedynenoji Tserkvy*, in *Opera Societatis Theologicae Ucrainorum*, Leopoli 1938, vol. XI-XII, p. 83.

² Cf. *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, II (1862), p. 397 in nota; *Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji*, pars I, t. II, p. LIV.

³ TH. LEBENDINTSEV, *Archimandryt Melchisedek Značko Javorskyj*, in *Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji*, loc. c.

nae, uti volunt auctores orthodoxi-separati, adscribendae sunt. Ceterum, eae paucae erant: « Filioque », aqua calida in calicem consecratum non infundenda, usus spongiarum abolendus, lingua infantium sanguine Christi non tingenda et Missae lectae et non, uti prius, solum cantatae. Tantummodo post Synodum aliae res minus Liturgiae Orientali conformes introduci coeperunt, sed de his imprimis Synodus non est inculpanda et secundo, eae fere omnes postea disparuerunt. Nec obliuiscendum est, quod Synodi finis principalis non fuit res stricte rituales curare, sed Clerum simplicem ac per eum populum in veritatibus fidei rite instruere, simoniam eradicare, ordinem et disciplinam inculcare.

Hunc et non alium scopum etiam Curia Romana, ut dicamus verbis auctorum orthodoxorum-separatorum, in Synodo assequendum proponebat. Et a fine primario opus diudicandum est. Unde falsum eorum assertum, Synodum ad latinizationem Ecclesiae Ucrainicae a praefata Curia celebratam fuisse.

Deinde, si laudati viri iurisdictionis Romani Pontificis agnitionem eiusque in Liturgia commemorationem, quam Patres Zamostiani laetissimo praescripserunt animo, tanquam latinizationem dogmatum orientalium reputent, tunc has veritates profiteri nec latinum nec orientalem sed christianum esse, animadvertamus oportet.

Ridiculum autem omnino videtur hoc, quod aliqui auctores, etiam catholici, depraedicare non cessant, ac si Synodus per innovationes rituales conversionem orthodoxorum-separatorum impossibilem reddiderit! Meminisse iuvat, quod qui sincere convertitur ad fidem catholicam nullas praecautiones dogmaticas vel rituales rigoristicas facit. Porro, conversio fratrum a nobis separatorum est opus gratiae et apostolicae sollicitudinis et si rem solum oculis terrenis aspicimus, dicere debemus, « quod unum e maioribus impedimentis in laboribus unionisticis est semper oppositio potentiorum huius saeculi. Ita fuit olim sub tsaratu, ita est hodie sive sub Gubernio sovietico sive sub aliis. Hic igitur tota Unionis tragoedia inde a Synodo Berestensi sistit »⁴

Quibus tamen innovationes a ritu alienas parvipendere vel, avertat Deus, commendare nolumus, sed contra exaggerationes in aestimatione Synodi submisso nostros monitus proferre intendimus. Tandem quod per iniuriam temporum vel impellente coniunctura a ritu alienum inductum fuerit, ubi opus vel conveniens esset, ad normam principii: « tradita ab antiquis custodire », faciliter a Commissione Liturgica corrigi vel moderari valet.

Alias nostrae analysis conclusiones sunt: De Synodi in forma specifica confirmatione ambigere nefas esse videtur. Fere omnia eius decreta etiam post Synodum Leopoltanam vim suam retinent. Deroga-

⁴ R. LOBODYČ, *op. c.*, p. 84-85. .

tiones autem a Synodo Leopolitana perpetratae, quamvis in se nullius roboris, cum Synodus solummodo recognita praecedenti in forma specifica approbatae derogare non valeat, hodie ob consuetudines in sensu eorum vigentes sustinentur. Relate ad decretum illud Zamostianum de matrimonio presbyteri post ordinationem, fontibus denuo examinatis, de nullitate praefati vinculi non constare censemus. In fine, minime admittendum est, Synodum ad universam nationem Ucrainicam extensam fuisse, e contra, sicuti antea, provincialem mansisse.

p. Joanikij OSBM
Roma, 22.02.2021

